quia plurimum habent honeſtatis, & modicum vitiorum, eorum ſaltem vitiorum, quæ magis eluceſcunt, & quæ auctorum ſuorum nomini officiunt; ſed quæ mollem, inertem, inutilemque vitam ducunt, quin ulla umquam miſericordiæ, ac pœnitentiæ opera exerceant, quin chriſtianas virtutes aſſequi curent, quamquam de fide ſit, ſine illis nullam ſperandam eſſe ſalutem. *P. Bourdalove in ſermonibus ſub ejus nomine editis.*

Hæc mollis & voluptuaria vita opponitur vitæ Jeſu Chriſti.

Non cogitamus, S. Paulinus inquit, per Baptiſmi gratiam fideles cum Jeſu Chriſto conſepultos eſſe; ſpopondiſſe crucem ſe amplexuros, non ultra ſibimetipſi, vel mundo victuros, ſed effecturos, ut Jeſus Chriſtus vivat in ipſis..... Non cogitamus, chriſtianam vitam eſſe debere non imitationem ſolum, verum etiam continuationem vitæ Jeſu Chriſti; quia hujus ſpiritus agere debet in illis, & in cordibus eorum eoſdem ſenſus imprimere; quos in corde ejus impreſſit. Si chriſtiana vita hac ſpectaretur ex parte, liqueret ſtatim quam longe ab illa mollis vita recedat; neque ullis opus eſſet rationibus ad eorum mentem evincendam, quibus de præcipuis religionis noſtræ veritatibus eſſet perſuaſum. *Ex tractatu de Comœdia.*

Oppoſita eſt vitæ pœnitenti, & mortificatæ, quum Chriſtianus ducere debet.

Quanam in re mortificata vita conſiſtit, quæ chriſtiano viro ducenda eſt? In hoc ſane, ut per ſpiritum opera carnis mortificet; ut a quibuſdam ſecedat ſocietatibus, quorum familiaritas nimis eſt periculoſa, quod ipſa docuit experientia; ut interius mundi pompas abdicet, a proximis peccati occaſionibus abſit, ut pœnitentem ducat vitam iis ſatisfacturus criminibus, quæ patravit; ut paulatim ſuas affectiones infringat eiſdem ea negans, quibus poſſent inflammari; ut numquam nimis mundanis ſeſe abdat ſolatiis, quæ vel aliquo tempore nocua ſint, vel aliqua ex cauſa ſint criminoſa; ut per virtutem ab illis etiam temperet, quæ per ſe culpa vacare poſſunt. Verum quis non videt mollem vitam eſſe omnibus hujuſmodi præceptis, atque inſtitutis oppoſitam? *Ex moralibus ſermonibus.*

S. Bernardi ſententia de vita molli.

S. Bernardus l. 1. de conſideratione inquit, mollem hanc voluptariamque vitam homines in quamdam ſtupiditatem, & quodammodo neceſſariam obdurationem conjicere, & nihil magis metuendum eſſe, quam funeſti hujus ſtatus calamitatem... Per quos gradus in hanc corruptionis, & duritiæ abyſſum deſcenditur? Sæpe per mollem, voluptuariamque deſcenditur vitam, ſanctus idem reponit. Cur autem? quia anima hoc in ſtatu fit omnino carnalis, atque animalis, habetque interiorem quamdam ſtupiditatem, quæ fere ſeparari non poteſt ab habituali conſuetudine peccandi. *Ibidem.*

Quid impugnetur, cum de molli vita habetur ſermo.

Hodierna die non converſationes, non ſodalitates, non ludos, non voluptates, non ſolatia perſtringo; ſed ad examen revocandum eſt, utrum vita ex his rebus omnibus conſtans merito innocens vocari queat; atque utrum hic innocentiæ prætextus eidem jure applicetur; ego vero affirmo vitam hanc damnationis eſſe. Ecce autem Tridentinæ Synodi verba, quæ mihi terrorem incutiunt: *Tota vita chriſtiani perpetua debet eſſe pœnitentia.* Cumque non videatur periculum, quod in hac vita molli adeſt, hæc infeliciſſima faſcinatio eſt, quæ mundum excæcat: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum;* Sap. 4. videlicet quædam eſt faſcinatio, quæ ita nos perſtringit, & excæcat; ut minime videamus magnitudinem bonorum alterius vitæ, & periculum, quod ſub ſpecie bonorum vitæ præſentis deliteſcit; quod ſatis explicare non poſſum niſi hoc Iſaiæ Prophetæ verbo: *Spiritus vertiginis.* Vertigo eſt, circuitus, ac jugis confuſio. Hæc voluptas, & deambulatio; hic cœtus, & hoc ſolatioſum; dormire, conſurgere, ſeſe comere, veſci; omnes iſti circuitus, crebræque viſitationes, quas cum mane receperis, a prandio reddis &c. *Impii in circuitu ambulant.* Pſal. 11. *Sermo manuſcriptus.*

Vita mollis non eſt vita chriſtiana.

Inviti licet, fateamur oportet auditores non æquam nobis eſſe Chriſtianæ ſanctitatis ideam. Quid autem? Seſe annihilaverit Deus; totum effuderit ſanguinem, & in cruce mortem ſubierit; tot præparaverit Sacramenta, tot operatus fuerit miracula, ut Religionem inſtitueret; utque tota hæc religio, tot laborum, prodigiorumque fructus ad aliquot aquæ guttas in noſtra nativitate redigatus; ac deinde liceat, ſi libitum fuerit, aleis invigilare, teſſeris ludere & ducere choreas. At enim quæritis, quis ſalvus erit, ſi ad ſalutem aſſequendam, abdicanda ſunt mundi ſolatia, labor amplectendus eſt, & bona opera exercenda. Ego vero ex vobis quære, ſi hoc neceſſarium non eſt, quis non ſalvabitur? Cur Evangelium tantopere exiguum electorum numerum exaggeravit, ſi ludentibus, atque omni voluptate fruentibus licet in cœlum contendere? *P. De la Colombiere.*

Inanis ſpes exiſtimantium ſe in hoc vitæ genere ſalvari poſſe.

Profitetur S. Paulus *ad Philipp.* 3. ſe rerum omnium jacturam æquo ſubiturum animo, & quidquid maximum, & locupletiſſimum eſt nullo habiturum in pretio, dummodo Jeſum Chriſtum lucretur: *Omnia arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciam.* Hodie vero prorſus oppoſito ſenſu ſperamus, & credimus nos eumdem lucraturos eſſe mollem, immortificatamque vitam ducentes: atque ut verbo me expediam in pernicioſo hoc errore vivimus, Chriſtianos nos eſſe poſſe, & ſalvari, quin ea relinquamus, quæ habemus; quin ex corde noſmetipſos abnegemus, quod quidem Jeſus Chriſtus, omneſque Patres eſſe affirmarunt penitus neceſſarium ad noſtræ vocationis ſanctitatem. Hoc enim chimæricæ horum temporum devotionis adinventum eſt; Chriſtianiſmi quidem gloriam, pœnam vero non item habere volunt; illum ſibi honori vertere cupiunt, ut conſcientiæ ſtimulos ſuffocent; illius autem jugum nolunt ſuſtinere tamquam nimis grave, & incommodum. *P. Bourdalove in ſermonibus, qui ſub ejus nomine circumferuntur.*

Turpe chriſtiano viro eſt in mollitie, crapulaque verſari; tenetur illæ ſuæ menſæ ſubtrahere quidquid conditionis ſuæ decor permittit, ſibique quantum poteſt deliciarum uſum interdicere non ſolum ſecundum probitatis, verum etiam pœnitentiæ leges. Inſignis enim illuſio eſt arbitrari in mundo homines eſſe, quos ſtatus ſui ratio in deliciis verſari cogat, & a pœnitentiæ legibus diſpenſet. Nihil adeo facile eſt, quam hunc errorem agnoſcere, non ſolum ex chriſtianæ religionis præceptis, quæ neminem diſpenſant, verum etiam ex plurimorum Regum, & Principum exemplis, qui in auſteritatum exercitatione nihilo fuere præ aliis diligentiores. *Eſſais de Morale tom.* 5.

Numerus eorum qui mollem, & voluptuariam vitam vivunt ingens eſt.

Quantumvis magnus ſit horum mortalium numerus, qui impie vivunt, modicus tamen videri poteſt ſi comparetur cum illis, qui ſub ſpecie frugi, ſanctaque vitæ reipſa voluptuoſiſſimam ducunt vitam nihil ſuis affectibus denegantes. Honeſti homines, ut mundo videntur, & æquitatem profitentes: ſed quorum negotium omne eſt otium juge, vel ſollicita earum rerum cura, quæ ambitioni, & cupiditati velificantur; homines demum, quos vitæ ratio Evangelicis contraria inſtitutis in eo majus periculum adducit, quo ſe tutiores eſſe arbitrantur. *Sermones Morales tom.* 6.

Hæc vita mollis principum virorum ac locupletum propria eſt.

Religioni minime ſibi vertunt ad ſatietatem terrenis perfrui deliciis, quin ullam vel evangelicorum canonum, vel propriæ imbecillitatis habeant rationem. Divites præſertim, nobiles, & qui aulam frequentant, ſibi perſuadent, omnia commoda, omniaque ſæculi ſolatia ad ſe pertinere; per ſtatus ſui conditionem licere ſibi mollem, inertem, & voluptuoſam ducere vitam; ſenſibus, & cupiditatibus ſuis ſatisfacere, & quoad poſſunt, commodam, ſuavemque ſibi vitam parare. Hinc ſeipſos ab omnibus pietatis, & religionis excitationibus, quæ incommodæ accidunt, diſpenſant; vetant, ne ſibi verba fiant de iis, quæ requiem ipſorum perturbant: inquirunt homines, qui ſibi palpent, & per quos omnibus vitæ ſuavitatibus perfruantur. Quod ad chriſtianas pertinet mortificationes, licitis aliquando voluptatibus abſtinere, receſſum, orationem, & bona opera ſtatus, & conditionis ſuæ propria exercere, hoc ab eorum uſu quam longiſſime abeſt, eamque tandem devotionem adoptant, quæ ipſis arridet, eorumque cupiditatibus non obluctatur. Maximi faciunt, quod nemini vim inferunt, & quod inſignes injuſtitias non committunt, quaſi chriſtiana vita eſſet nihil mali facere quin aliquid boni fieri quæratur. *Auctor Anonymus.*

Quid hominibus in mundo faciendum, ut chriſtiane vivant.

Si qui in mundo verſantur chriſtianam vitam vivere volunt, in mundo ipſo arctam quærere viam debent, extra quam nulla ſalus: & ſperare, ſe eam Deo fovente inventuros, dummodo lacrymis ea proſequantur, quæ aliorum gaudia conſtituunt, atque oculis fidei reſpicientes vanitates, ac mundanorum ſolatia hæc aſpernentur, & horreant. Seipſos ſolitarios præſtare debent in turba; quales profecto erunt, cum aliter vivent ac homines mundi, fovebuntque cogitationes, & conſilia, & exercitationes illis prorſus oppoſitas; cum operi vacabunt, aliis in otio permanentibus, cum affectus ſuos impugnabunt, aliis eiſdem ſatisfacere cupientibus; cum Deo preces effundere, cum Deo loqui, Deumque audire quærent, aliis in obtrectatione, atque aſſentatione tempus terentibus; cum denique nihil reliquum facient, ne ſæculi iniquitatibus coinquinentur. At ne audeant ſe Deum inter, & mundum dividere, & ab utroque id mutuari, quod commodum, ſuoque ingenio conforme reperient; hæc enim proprie vita mollis, ac temperati chriſtianiſmi ſpecies vocatur. *Idem.*

Plurimi arctam amplecti viam volentes falluntur.

Scio equidem, ſi ſæculum hoc ſpectemus ex reformatione, ſeveritate, auſteriſque ſententiis, quas plurimi hodie magnifice profitentur, non defuturum, unde mundanorum relaxationem conſolemur: verum neſcio, utrum penitiora ſcrutantes eorum corda, qui videntur altius hunc ſeveritatis ſpiritum concepiſſe, inveniemus, quod externa ſpecies promittit. Videmus enim adeo mirabilem ſeveritatis, & relaxationis commixtionem in vita plurimorum, qui ſeveri cupiunt haberi, ut quantumvis obiter illos ad examen revocemus, liqueat, eos longe alios eſſe ab iis, quos eſſe ſimulant. Quæ via corpori arcta eſt, nimis lata eſt cordi; quæ ſenſus arctat, hæc laxat mores; ac ſæpe miro concupiſcentiæ, amoriſque proprii artificio contingit, viam hac ex parte coarctari, ut laxetur ex altera; & immodice ea ex parte, quo nos ſtudium non rapit, viam ad anguſtias redigi, ut quo nos fert ingenium, ibi ultra modum fiat latior. *P. Aurelianenſis, Sermone de ſeveritate Evangelica.*

Vita mollis adverſatur Evangelicis inſtitutis.

Nihil in ſpeciem quidem ſuavius eſt molli mundanorum vita; mens omnis expers curæ, corpus omnibus perfruens commodis; variarum voluptatum ſibimet ſuccedentium ſeries: agitatio jucunda, quæ mentem recreans, quin illam occupet, eam ſeriis, maximeque neceſſariis conſiderationibus liberat; vita ſpectaculis, conviviis, deambulationibus, converſationibus dedita; nihil hoc jucundius fingi poteſt, ſi ſpectetur extrinſecus. Attamen hic omnis felicitatis evaneſcit adſpectus cum ſalutis, quod ibi ineſt, periculum conſideratur: cum cogitatur hoc vitæ genus Evangelicis oppoſitum eſſe inſtitutis; vitæ Jeſu Chriſti in doloribus, cruciatibuſque tranſactæ; viæ quæ ducit in cœlum, quod nonniſi vi rapitur, quam ſibi quiſque facit, & quo nemo niſi per cruces, & paſſiones pervenit. *Auctor Anonymus.*

Chriſtiani vita conformis eſſe debet vitæ Jeſu Chriſti.

Chriſtianus, qui ex ſtatu ſuo capitis crucifixi membrum eſt, quoddam eſt deforme, ac monſtroſum in Jeſu Chriſti corpore, niſi in ſe deferat characteres, & uti loquitur S. Paulus, ſtigmata Salvatoris ſui. Quæ autem ſimilitudo eſt inter caput ſpinis coronatum, & membra floribus redimita? inter vitam Jeſu Chriſti, quæ fuit laboribus exercita uſque ab infantia, & Chriſtianorum vitam, quæ catena eſt voluptatum? Poteſtne apertius impugnari terribilis hæc Tridentini Concilii ſententia, aſſerentis totam chriſtiani hominis vitam jugem eſſe debere pœnitentiam: *Tota vita chriſtiani perpetua debet eſſe pœnitentia.* Ita loquitur Oecumenicum illud Concilium, quod morum, æque ac fidei nobis norma eſſe debet certiſſima. Non dicit autem vitam religioſi hominis, ſed chriſtiani: nullam excipit ætatem, nullam conditionem, nullum ſextum, omneſque ſimul involvit mortales in hac inevitabili crucis deferendæ neceſſitate, quam perpetuam pœnitentiam appellat: *Perpetua debet eſſe pœnitentia.* Hæc igitur mollis, & commoda mundanorum vita non eſt vita Chriſtiani, quandoquidem tantum diſtat a pœnitentia, quæ ab illa ſeparari non poteſt. *Specimina ſerm. pro adventu.*

In hac molli vita nemo ſeipſum ſanctificare contendit.

Sanctificatio noſtra Dei opus, & noſtrum eſt, S. Auguſtinus inquit: *Hoc opus ſuum eſſe voluit, & noſtrum:* Dei opus eſt nos evocantis, noſtrum vero, qui vocantem ſequimur: *ſuum vocando, & noſtrum ſequendo.* Hæc autem vita, quam mundus innocuam vocat, nos divinis vocibus ſurdos facit, vel prohibet ne ſequamur illas: neque aliquid ultra requiritur, ut, quam noxia ſit, innoteſcat. Et ſane fieri ne poteſt, ut qui ſemper voluptatibus addicti ſunt, ſemper diſtracti, ſemperque tot jucundis rebus, ſocietatibus, & converſationibus occupati, quas Deus minime vult, & ubi idcirco nequaquam ſupplere tenetur attentioni mentis eorum copia luminum ſuorum; fieri ne poteſt, inquam, ut id genus homines animum advertere ſolum poſſint conſiderandis, meditandiſque veritatibus Religionis, quas illis ob oculos objicit gratia? At niſi ſuas adjiciant cogitationes interioribus illuſtrationibus, quibus a Deo illuminantur, quem inde referent fructum? Niſi autem ex Dei gratiis fructum referant, fieri non poteſt, ut ſalutem ſuam operentur. *Ibid.*

Hæc vita mollis innocens eſſe non poteſt.

Vita inutilis, atque bonorum operum ſterilis culpa vacare non poteſt, quia culpa non vacat ea vita, quæ ſaluti ejus non proſpicit, qui ducit illam, ſed quæ illum damnat, quandoquidem nil medium eſt ſalutem inter, & damnationem. Qui non colligit mecum, diſpergit, & qui non eſt mecum, contra me eſt, ait Jeſus Chriſtus *Luc.* 11. *& Matt.* 12. ut intelligamus, ab ipſo reprobari chriſtianos hoſce neutros, & ambiguos, qui neutri parti hærere videntur. Deus videns cor chriſtiani inter ipſum, dæmonemque diviſum, inde egreditur, S. Auguſtinus ait, dæmonique relinquit eam partem, cujus dominus videbatur. Multum mali facis, cum non facis bonum, quod ex te petit Deus: omnes negligentiæ tuæ omiſſiones ſunt, infidelitates gratiæ ejuſdem..... Neque ſolum ſuavis, & commoda mundanorum vita innocens non eſt; ſed ſi ſerio ſecundum ſanæ diſciplinæ principia illam ad examen vocemus, vita hæc prorſus criminoſa eſt, atque ut ita dicam, non intermiſſa peccatorum catena, quia ab una voluptate ad alteram, ab una ad alteram cupiditatem ſit tranſitus. *Ibidem.*

Alia eorum hypotipoſis qui mollem vitam ducunt.

Non deeſt quædam chriſtianorum ſpecies, qui in mundo honeſti viri cenſentur; qui neque in improborum, inſigniumque peccatorum numero ſunt, neque in numero eorum, qui ſe pios eſſe profitentur, bonis operibus, omnibuſque ſuæ religionis officiis intentos, ſed qui inter utramque hanc vitæ rationem mediam ſequi viam affectant. Non parent illi quidem gravioribus vitiis, oderunt crimina, quæ nomini infamiæ notam inurunt; verum omnibus perfruuntur ſolatiis, omnibuſque voluptuariis cœtibus adſunt; in nulla re deſunt earum, quæ mundi vocantur officia: ſed ſatis putant id exercere per urbanitatem, quod in Chriſtianiſmo maxime neceſſarium eſt. Norunt ſatis quid faciendum ſit; ſed mundo magis placere contendunt, quam Deo: Domini legem obſervant, non autem univerſe, neque perfecte; quibuſdam in officiis fideles, in aliis ſe facile diſpenſant; nullam ſibi vim adhibent, nullam curam impendunt, ut ſuos vincant affectus, nullam habent famem ſitimque juſtitiæ, nullum in virtute progreſſum; ſed quærunt indeſinenter commoda ſua, & quidquid vitam ipſorum efficere poteſt jucundiorem. Hæc vita eſt hominum, qui honeſti mundo vocantur, ſed quæ coram Deo multiplici ex cauſa nequam eſt. *Sermo manuſcriptus.*

Vita mollis non eſt vita chriſtiana.

Chriſtianiſmus duas nobis generatim leges præſcribit, quæ norma eſſe debent vitæ, totiuſque chriſtiani hominis diſciplinæ. Prima eſt mundum, & eorum quidquam, quæ mundi ſunt, a nobis amari non poſſe. Hæ duæ ſunt leges, quæ unam tantum efficiunt, quam gratia ſemper ponit ob oculos fidelium eo in commercio, quod cum mundo habere tenentur. Duabus hiſce utamur regulis, ut illas actionibus applicemus, conſuetudinibus, moribuſque eorum, qui mollem ducunt vitam, quales vulgo Principes ſunt, ac divites ſæculi. Vita hæc nemini fere criminoſa videtur, quippe magnis caret ſceleribus, neque adulteriis fœdata eſt, immo neque brutali, turpique intemperantia, cui ſe nequiores ingurgitant. Verum utrum reipſa noxia ſit, ex duplici hoc canone judicemus. Perpendamus utrum in hac vita, quæ mollis vocatur, cor a terrenis avulſum ſit, æternorumque rerum amore ſuccenſum. Qui minus hanc vitam oderunt; immo qui eam maxime diligunt, non negant, ab ipſa voluptates amari, & inquiri, atque plurimum divitiarum in eaſdem impendi; illam ſemper oblectari deliciis, atque in id unum incumbere, quomodo amoveat quidquid illorum pacem, & requiem valet perturbare; atque ita negare non poſſunt illam vitæ crucis, quæ fidelium vita eſt, eſſe oppoſitam. En generatim, quid ſit vita mollis: ſed de vitæ hujus veritate ex his principiis judicium feramus res mundi hujus amandas non eſſe, cor a terrenis eſſe avocandum; ſtatimque patebit, illam, cum non aliud ſit quam amor mundi, chriſtianam eſſe non poſſe, nullamque partem habere in noſtrum metipſorum abnegatione, nullumque indicium, quod cor noſtrum ſit ad res æternas converſum. *Sarrazin tomo 2. Adventus ſermone de ſui ipſius abnegatione.*

Vita mollis diviſio eſt Deum inter, & mundum.

Non poſtrema inter vulgatiſſimas, periculoſiſſimaſque ſæculi illuſiones, illa eſt plerorumque fidelium, qui extrinſecus retinent adhuc aliquos religionis ſenſus, rati, quia in flagitioſiſſimam relaxationem non ruunt, ſe cum Deo rem componere poſſe, illi ſimplicem ſuperioritatis, & exiſtimationis præ mundo in animo prælationem deferentes, atque hoc pacto utrique huic ſimul domino ſervire poſſe. Fatali hoc errore decepti morum diſciplinam juxta ſuam cupiditatem ſibi concinnant: nolunt omnino Dei ſervitutem abdicare, at ne mundi quidem ſervitutem penitus abjicere nolunt. Frequenter ad Sacramenta accedunt, preces, & eleemoſynas effundunt, verum ſemper animo rebus creatis adhærent, atque ſine religione ſeſe omnibus mancipant objectis, erga quæ incompoſitis rapiuntur affectibus. Si alteri tentationi reſiſtunt, cedunt alteri; ſi mundum ea ex parte contemnunt, quæ ipſorum cupiditatem non palpat, ad commentitium contemptum hunc reparandum aliis in rebus a ſe illum amari poſſe arbitrantur. Pœnitentes, ſed quin ſibi vim faciant, ſed quin amorem proprium abnegent, temperantes ex urbanitate; honeſti ex officio; zelantes ex vanitate; nunc devoti, nunc mundani alternis vitiorum, virtutumque vicibus, & bonorum malorumque ſtudiorum mixtura. *Ex moralibus ſermonibus, tom.* 8.

In hac vita molli nulla fidelitatis Chri-

Non admodum fidendum eſt eorum fidelitati, qui cum

ſtiani hominis ratio haberi poteſt.

cum Deo componere ſtudent; qui ſeſe ita illi tradunt, ut cum ejuſdem hoſtibus bellum non gerant; qui pietatem in ſpeciem tantummodo ſequuntur; qui poſt ſe relinquere videntur aditum ſemper patentem, ut cum libitum fuerit, redeant ad mundum, qui aliquod ſervant adhuc cum illo vinculum, & non omnem dæmoni ſpem auferunt imperium ſuum iterum obtinendi. At nonne hic eorum ſtatus eſt, qui commodam vitam ducunt, poſtquam flagitioſam duxerunt; qui adhuc adhærent mundo quem ſe relinquere ſimularunt, & qui ſatis eſſe putant dimidiato corde ſervire Deo, poſtquam totum impenderint mundo? Hoc non eſt, fateor equidem, ad prima relabi flagitia, ſed earum partem ſervare eſt; non eſt eadem peccata committere, ſed minora patrare, nam eadem, quæ antea, retinetur affectio, ſed pudet eadem ut antea committere. *Auctor Anonymus.*

Deus pati nequit diviſionem inter ſe & mundum.

Deus hæc neutra genera odit; anima frigida minus illi diſplicet, quam tepida; apertuſque inimicus, quam iners; & imbecillis amicus; inducia non vult; vel pacem, vel bellum cupit; qui duorum Principum inter ſe diffidentium gratiam aucupatur, ſæpe utrumque lædit. Qui Deo, & mundo ſatisfacere adnititur, vulgo neutri ſatisfacit: officia illis præſtanda, ita ſibi adverſantur, ut alia obire non poſſis, quin in aliis deficias. *P. Neſveu, tom. 3. Chriſtianarum Conſiderationum.*

Qui mollem implectitur vitam, perditionis ingreditur via.

Hæc præclara ſunt amoris proprii erga nos merita; efficit ut ita in hac perditionis incedamus via, ut ibi nequaquam eſſe cogitemus mollem, inertemque vitam ducentes; neque animum advertere velimus, ut id cogitemus. Neque ideo exiſtimandum eſt, quod noſmetipſos in hoc vitæ ſtatu imperfectos non agnoſcamus, nobiſque vitia, infirmitates, & cupiditates ineſſe neſciamus; ſed cum in mundo magis nefaria non deſint crimina, quæ ipſi in conſcientia noſtra pati minime vellemus, & mortales nequiores, quorum licentiam, & impietatem perhorreſcimus; nobiſmet perſuademus, hos tantum flagitioſos homines latam perditionis viam decurrere; & quia non eadem inſtitimus via, vel non eadem pernicitate in præceps ferimur, eo nos nequaquam ferri arbitramur. *P. Haineuve in præfatione libri, cui titulus, Lata via, quæ mundum perdit.*

Periculoſiſſimus error eſt credere, eum qui mollem, inertemque vitam ducit, non eſſe in lata via quæ ducit ad mortem; hoc enim idem eſt, ac dicere neminem eſſe poſſe nequam, & improbum niſi in omne ſcelus perditiſſime ruat; & ad interitum non pergere, qui gradatim, lentoque pede ad illum incedit. Si conſcientiam noſtram interrogaremus, intelligeremus utique, ſicuti hujuſmodi vitam ducentes nequaquam rectam ſequimur viam, in quam Dominus noſter, ut ingrediamur, invitat, ita nos injuria confiteri nolle, quod in latiori via ſumus; & ultro concederemus nos nequaquam in eorum eſſe numero, qui inter cruces, atque auſteritates vitam agunt, quæ hanc viam arctam, januamque anguſtam efficiunt, ſicuti pati non poſſumus eos, qui nos exprobrant quaſi impiorum more vivamus. Hinc ſequitur, quod tertium eſſe arbitramur iter, cujus non meminit Jeſus Chriſtus, & poſſe nos tuto in hac incedere via, quin in hoc mundo plurimum adlaboremus, ut perveniamus in cœlum. *Idem.*

Undenam oriatur hic error in pleriſque mortalibus.

Numquam fortaſſe advertimus animum ad tertiam hanc viam, de qua mox locuti ſumus; ſed re ipſa naturaliter mollem, intertemque vitam diligimus, omnibus commodis frui gaudemus, quin plurimum laboris vel difficultatis perferamus, & hoc in ſtatu ſpiritus noſtri, ſi reſpondere teneremur, utram eligere velimus viam, diceremus utique nos neutram velle: non arctam, quia vim, laboremque metuimus, ſed neque latam, quia interitum, reprobationemque veremur, qui ejuſdem exitus eſt. Quid ergo? Quo incedere volumus? quomodo vitam agere cupimus? Si cor noſtrum aperire auderemus, confitendum eſſet a nobis inquiri modum vitæ hujus voluptatibus perfruendi, quin metuendum nobis eſſet, ne in æternum damnaremur, & ad æternam beatitudinem perveniendi, quin nobis perferendi eſſent omnes labores, & curæ, quæ ad illam promerendam ſubeundæ ſunt. Hoc nos inquirimus, hoc volumus, ſed quodnam hoc iter eſt; ubi hæc tuta via? ubinam in orbe invenitur? Hoc ſane eſſe nequit alterutra earum de quibus loquitur Evangelium: altera enim nonniſi in laboribus, crucibuſque, quas fugimus, invenitur: altera vero deſinit in perditionem quam metuimus, & minime volumus. Tertia igitur fingenda eſt, quæ numquam fuit, eritque numquam; quæ neque pro hac vita moleſta ſit, neque periculoſa pro altera: & hæc illa via eſt lenis, & commoda, quæ ex aliis duabus habet nihil, niſi quod nobis ſatisfacere poteſt.

Nemo eorum qui hoc vitæ genus ampleƈtuntur, damnari vult, ſed omnes damnantur.

Ne unus quidem ex illis eſt, qui mollem hanc, inertemque vitam ducunt, qui non profiteatur maximam æternæ ſalutis ſuæ curam, & qui ideo non a graviſſimis quibuſque ſceleribus abhorreat, atque ab iis vitiis recedat, in quæ ſuopte ingenio facile ruerat. Sibique complacet per hanc conciliationis ſpeciem Deum inter, & mundum ſeſe videns diſtinctum ab apertiſſimis Dei inimicis, & ab omni virtute, cujus via homines, ut Apoſtolus inquit, numquam regnum Cœlorum poſſidebunt. Conſtat nihilominus, quemadmodum ſuperius oſtenſum eſt, hos mortales, præter mentem damnari, atque in illuſione verſari. Tu vero, dilectiſſime Auditor, cave ne te decipias; quamquam optimam te ipſum ſalvandi voluntatem habere videaris. Intereunt illi, quia ſunt in illuſione, neque ſibimet perſuadere poſſunt eam, quam ducunt, vitam ad mortem adducere; tu vero, qui in eadem es ſententia, ne illuſione dicam, qui, ut illi, vivis, & qui ut illi, minime credis in vitæ periculo verſari, eadem inſiſtens via, quam metuendum tibi eſt, ne ad eumdem finem pervenias? Teipſum pauliſper collige; cogita non eſſe te in arcta via, in qua unice ſalvari poſſumus; arctæ huic viæ, quam Dei filius nobis oſtendit, eam, quæ tibi maxime arridet, extenſionem tribue; nullum illius characterem deprehendo in eo vitæ genere, quod licitum, & innocuum eſſe contendis. *Ex ſententiis Auct. ejuſdem.*

Intereſt ſcire, quænam ſit arcta via, quam in cœlum eundum eſt.

Heu tu, quid cogitas, quid exiſtimas de hac perditionis via, de qua adeo palam ſermo fit in Evangelio? quomodo illam intelligis? Malorum omnium fons eſt, hoc ignorare; niſi aliter hanc tenes, quam homines vulgo; & ſi putas, neminem in lata via decurrere, niſi qui omnibus ſeſe flagitiis mancipiat, næ tu quidem vehementer erras; & error hic præſertim te perdet; prohibet enim, ne agnoſcas illud, in quo es, periculum, & in quod te animi tui ægritudines poſſunt impellere. Contende igitur hunc errorem abjicere, atque ita perfecte noſſe quid latam, arctamque conſtituat viam, ut id intelligas, quod Salvator inquit, pleroſque mortales eam ſequi, quæ lata eſt: ad hoc, ut in eadem gradiaris opus non eſſe ut ſis ex ſceleſtiſſimorum numero; ſed ſatis eſſe, non recenſeri in albo eorum, qui virtute ſunt præditi, & qui ampleƈtuntur crucem, arctamque chriſtianæ mortificationis viam; cumque ſerio perpenderis mollem, commodamque vitam quam ducis, fortaſſe metuendi locum invenies, ne in eo, in quo minime putas, numero inveniaris. *Idem.*

Modus cognoſcendi utrum in lata an in arcta via ſimus.

Verum eſt, de nemine judicandum, & neminem tuto de vitæ ſuæ ſtatu poſſe ferre judicium: at non minus verum eſt, non deeſſe indicia, & ſigna quædam, ex quibus noſmetipſos ita inſpicere, & cognoſcere valeamus, ut in quo ſtatu ſimus, ignorare nequeamus. Mundi Salvator nequaquam ſatis eſſe cenſuit, ſi nobis duas eſſe aperiret vias, quarum altera ad vitam, ad mortem altera adducit; verum etiam nobis indigitarit, quinam diverſis his itineribus inſiſtant. De aliis dicit: Luc. 6. *Væ vobis, qui ridetis*; Væ vobis, qui hoc in mundo veſtra gaudia, veſtra commoda habetis, veſtramque conſolationem: de aliis vero: Matth. 5. *Beati, qui lugent, beati, qui perſecutionem patiuntur.* Vide modo in molli hac commodaque vita, utrum patiaris, an tuum gaudium, & lætitiam invenias. *Idem.*

Quædam peccata ſæculi uſu approbata videntur, & omnem exuiſſe noxam creduntur. Pulcherrima illis ſpecies appingitur, & nobiſmet perſuadere conamur, ea nullatenus Evangelicæ legi eſſe oppoſita. Ita homo ac mulier mundana ſecundum mundum vivunt, ſecundum mundi inſtituta vitam traducunt, omnibus vacant ſolatiis, omnibus indulgent voluptatibus, & hæc omnia innocua eſſe contendunt. Hoc multum eſt, fideles mihique animus eſt commentitiæ hujus integritatis illuſionem oſtendere. Si vobis autem adhibemus, eſtis de ſtatu veſtro, ac de Mundo, cujus ſuavitatibus perfruimini, contenti, at vix credam, de vobis contentum eſſe Deum; ac vereor, ne abieritis in periculoſam viam, de qua loquitur Spiritus Sanctus, & quæ tutiſſima, ac rectiſſima videtur; quæ tamen ducit ad mortem: *Eſt via, quæ videtur homini recta, & noviſſima ejus ducunt ad mortem.* Hæc res nonne indiget explanatione? *P. Girouſt tomo primo de inutili mundi vita.*

Omnis Chriſtianus ducere tenetur vitam pœnitentem vitæ huic molli oppoſitam.

Quatenus Chriſtiani membra ſumus Capitis ſpinis coronati; & diſcipuli ejus magiſtri, qui inter labores, & cruciatus vitam duxit, & mortem ſubiit. Ipſa, quam profitemur, fides nos cogitet, ut indeſinenter noſmetipſos coram Deo veluti ſontes conſideremus, atque per pœnitentiam ea prævertamus ſupplicia, quæ illius nobis intentat juſtitia, & quæ toties meriti ſumus. Si ergo Chriſtianæ Religionis aſſequimur ſpiritum, omnes in terris pœnitentes eſſe debemus; pœnitens autem, Tertullianus ait, non vivit, ut ſenſibus ſuis ſatisfaciat, ſuiſque cupiditatibus pareat, ſed ut ploret, atque patiatur. Qua in re Tridentina Synodus *Seſſ.* 15. iis utitur verbis, quæ terrorem incutere debent illis, qui mollem, commodamque vitam ducere cupiunt: *Tota vita Chriſtiani perpetua debet eſſe pœnitentia*; Audite, mortales voluptatibus, deliciiſque dediti; ita Jeſu Chriſti loquitur Eccleſia; totaque ſimul congregata Eccleſia. Hæc non minus ab erroris ſuſpicione remota eſt, cum morum diſciplinam corrigit, quam cum de fide diſceptat; quia par nobis neceſſitas eſt & bene facere, & bene credere. Singula ſancti Concilii verba enucleate; nullum eſt, quod non habeat vim peculiarem. Non dicit, vitæ pars, ſed *tota vita*. Non inquit, vita cœnobitæ alicujus, ſed *Chriſtiani*, neque ait Chriſtiani alicujus, ſed generatim *Chriſtiani*, cujuſcumque generis ille ſit, conditionis, ætatis. Denique non ait hoc eſſe conſilium, ac opus ſupererogationis, ſed inevitabilem neceſſitatem: *Tota vita Chriſtiani perpetua debet eſſe pœnitentia. Idem.*

Qui molliter vivit, uti nequit Dei gratia.

Nemo gratiæ fructum percipere poteſt, qui non ſedulo omnibus ejus motibus ſtudeat, ac diligentiſſime eamdem ſequatur. Quæro autem, fideles, utrum huic pares ſitis diligentiæ ea in vita, quam negotia, ac mundi ſolatia viciſſim penitus occupant? Quot oblectamenta, & dulces nugæ ex mente veſtra aliam quamcumque cogitationem exterminant, & in corde veſtro alium quemlibet ſuffocant ſenſum? Tot ſodalitates, ſolatia, convivia, cœtus, converſationes, ludi, ſpectacula. Inter hæc omnia quomodonam, & quando voci Dei adhibebitis aurem? . . . . Hinc autem quibus in rebus teritur vita? in inutilibus, ineptiſque nugis: & hæc illa popularis inſania eſt, ex qua vix, & ne vix quidem noſmet colligimus: hæc illa faſcinatio nugarum eſt, quæ nos fallit, & de qua Salomon *Sap.* 1. loquitur: *Faſcinatio nugacitatis obſcurat bona, & inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia.* Horum verborum ſenſum intelligite. In vulgatis ſæculi diſtractionibus, falſiſque illius bonis, non deeſt quædam illecebra, quæ nos faſcinat, & excæcat, prohibetque, ne vitæ alterius bonorum magnitudinem, præſtantiamque deprehendamus. Bona hæc ab oculis veſtris evaneſcunt, dum alia concupiſcitis, & cogitatis. Indeſinenter circa hoc verſamini, & in brevi hoc ambitu hæretis. Longiſſima annorum veſtrorum ſeries non aliud eſt quam viciſſitudo, & perennis inconſtantia concupiſcentiæ de uno in aliud objectum tranſeuntis, ac unum id, quomodo ſeipſam nutriat, quærentis. *Idem.*

In hoc vitæ genere de Deo parum cogitatur.

Bona fide quæſo, quotam temporis partem in hac vita, quam ducitis, ſingulis diebus impenditis Deo; vel potius fatemini vos ne minimam quidem eidem impendere? Neque enim putate, ullam habendam eſſe rationem quarumdam precum, quas per habitum, & ſine ulla attentione proferunt labia. Quas etiam quoties omnino negligitis, prout fert libido, cum vos evocat mundus? Cæterum mentem habetis curis prorſus profanis, cæptis conſiliis, cupiditatibus, ſæpe etiam ornatibus, indumentis, ſervis, ſupellectili, cœtibus, nugiſque oppletam: hæc ipſi cogitatis; idque tanto magis, quia de nulla re alia loquentes auditis, voſque ipſi de illis inceſſanter ſermonem habetis. Quomodo autem cogitare de Deo poteſtis, Tertullianus ait, ubi de Deo numquam incidit ſermo? *Quomodo cogitabit de Deo poſitus hic, ubi nihil dicitur de Deo? Idem.*

In hoc vitæ genere multa committuntur peccata.

Fruſtra huic molli vitæ ſpecioſum virtutis velum prætendis. Fruſtra dicis: mundum equidem video ſed cum honeſtate; cœtus frequento, verum nihil ibi contra jus, & fas accidit. Sub præclara hac ſpecie quoties flagitioſiſſimi ſenſus latent! quot inſana conſilia! quot mali conventus! Nonne miraculum eſſet, ſi quis ſtaret tot inter pericula, quibus ſe indeſinenter expoſitum videt? Quis mihi perſuaſerit in his virorum, mulierumque cœtibus, ubi ſermones ſemper circa amatorias nugas verſantur, & ubi nemo ſibi religione vertit ſexcentas loquendi rationes nimium liberas, obſcœnaſque, mentem nullam labem concipere, ſibique ſemper diligentiſſime cavere ab omnibus ideis, quæ illam corrumpere poſſent? Quis mihi probaverit, inter tot objecta, quæ placere poſſunt, atque reipſa placent, oculos nequaquam perſtringi, & cor, quod oculos ſequitur, ita compos eſſe ſui, ut illis minime adhæreat? Crederem potius aliquem in violentum ſeſe conjicere poſſe torrentem, quin aquarum flumine abripiatur; vel medium in igne ſtare, quin flammis uratur. Vix diſertiſſima quælibet ſolitudo nos ab affectionum vi protegit. *Idem.*

Quid ſibi fas eſſe velint homines in molli vita, quæ contra Dei legem eſt.

Qui ita vitam inſtituunt, ſe nullis agi ſcrupulis jactitant. Fas eſſe ſibi putant, aculeatiſſimis irriſionibus, detractionibus callidis aliquem proſcindere, jucundis fabellis, feſtivis, ſed parum modeſtis vocibus; hilari, ſed nimis familiari loquendi ratione alios oblectare, mundanis, & decori oppoſitis ornatibus ſeſe comere, videre, & videri, aliis complacere, aſſiduamque opellam officioſe præſtare. Hæc omnia tamquam uſus recepti exiſtimantur. Neſciret vitæ rationem, qui in his deficeret, nimiſque ruſticitatis inſimularetur, qui hæc vellet damnare. Hi tamen uſus totidem abuſus ſunt; & quantumvis obiter bona fide expenderentur, ne laxior quidem morum diſciplina eos poſſet probare. *Idem.*

Diſtinguenda eſt vita mollis a ſceleribus, quæ committuntur.

Ne putetis iſtic me vobis per hypotipoſim ob oculos exhibere velle ſæculi corruptionem, quæ vobis quam mihi notior eſt: atque hic deſcribere miſera vitii mancipia, quæ cupiditatum vis ad extremum uſque libidinis, licentiæ, atque impietatis etiam fortaſſe rapuit. Quamvis hæc vitia graviſſima ſint, atque enormiſſima, non ſemper tamen eorum contagium præ cæteris, metuendum eſt: neque propter illa mundus ſaluti magis officere mihi videtur. Cum vitium perſonam abjicit, totumque ſuum horrorem oſtendit, totamque infamiam ſibi inhærentem, plurimum de viribus, illecebriſque ejus deperit . . . Sed periculum fere inevitabile in ſæculo exemplum eſt ſanioris honeſtorum hominum partis, qui a turpibus hiſce flagitiis abhorrens, non ideo ſunt Dei regno propiores. Hæc videlicet vita mollis, iners, & voluptuaria, in qua nati ſunt, quæ nihil ſibi negat deliciarum, & commodorum, quæ natura requirit; quæ præcipue, & unice voluptatibus vacat; ubi alea, crapulæ, comœdiæ, ſpectaculiſque chorea, & ſaltatio ſuccedit; ubi dies integra non aliud eſt, quam non intermiſſa ſolatiorum, futiliumque nugarum ſeries; ubi ambitionem fas eſſe putant, tamquam affectum animo bene nato dignum; ubi honor, & utilitas toto ſtudio quæruntur; vita denique ubi nullum Chriſtianiſmi veſtigium videtur, & quæ hominibus ita placet, atque ut ita dicam, ita illos infatuat, ut ne dubitent quidem, utrum in ſalutis via reperiantur. *P. Cheminais tom. 1. ſermone de religioſa Profeſſione.*

Quædam oppoſitio adeſſe videtur inter vitam mollem & præceptorum Dei obſervantiam.

Nihil prodeſt aſſerere, mollem, commodamque vitam ducendo, obſervari legem, nihilque ultra a Jeſu Chriſto requiri. Fateor equidem nihil ultra requiri; & abſit, quod vobis illud imponere velim onus, quo ne Jeſus quidem Chriſtus vos onerat; verum cavete, ne vos illo, quod impoſitum ab eodem eſt, exoneretis. Etenim eſſe in lata via, ubi quidem vos eſſe ex Evangelicis verbis liquido conſtat, & nihilominus legem ſervare manifeſta contradictio eſt. Et ſane vitam voluptuariam vivere, non autem criminoſam, & ab illegitimis abhorrere voluptatibus; hilaritatem, amatorioſque mores in converſationibus amare, quin cor elabatur, atque fines, quos lex ipſa præſcribit, effringat; teneras fovere amicitias cum alterius ſexus perſonis, quin cor ipſum exæſtuat; gloriam, ac dignitatem in pretio habere, quin cor ambitione intumeſcat: cum de honore agitur delicatiſſimum eſſe, ſimul ſeveriſſimum in Evangelica ſervanda lege, qua injurias dimittere jubemur, hoc potiſſimum ſæculo, quo nulli vel ſacro, vel profano parcit invidia; mentem, & cor mundo repletum habere, neque illum magis, quam Deum diligere; orationem, & bona opera ignorare, diemque noctemque impendere iis cogitationibus, quæ vanitas ſuggerit, & nihilo ſecius ſuo Chriſtiani hominis officio fungi; ex libidine, ingenioque ſuo vitam ducere, neque deſipere &c. chimæra eſt. Quicumque ita vivit, latam decurrit viam: & quicumque viam latam decurrit, legem non ſervat. *Idem.*

Probatur, quod in hoc vitæ genere Dei lex non ſervatur.

Adeo verum eſt in molli hac, mundanaque honeſtorum ſæculi mortalium vita legem nequaquam ſervari, quam ſi ſervarent, vita, quam tantopere in deliciis habent, omni prorſus ſuavitate illis carere videretur. Hæc mundanorum ſors eſt, faſtidire voluptates, ubi lege reguntur. Si in ſingulos greſſus inſpicere deberent, utrum quod cogitant, dicunt, faciunt, divinæ legi repugnet: mundi vita in crucem, ac non ferendum ſupplicium converteretur; quemadmodum illis accidit, qui divino afflati numine aperiunt oculos jugibus periculis, in quibus ſalus verſatur ſua, atque conſilium ineunt rite Chriſtiani hominis munere perfungendi. Mundus tunc illis moleſtus fit, & gravis, quantum antea placebat illis eo frui; tantum diſplicet ipſis æternas mundi, & Evangelii contradictiones ibi experiri; ſunt in ſtatu violento, ac ſæpe integrum ſeceſſum prælio adeo periculoſo cenſent anteferendum. Ecce autem cur mihi magis metuendis propter aſſertam frugalitatem mundus videatur. Quid enim conari poteſt ado-

adoleſcens, ne has vias ingrediatur? Eo ſe trahi videt ſaniori honeſtorum mortalium parte; ſe probari ab illis videt, quorum, mores illius formare, maxime intereſt: qui hujuſmodi vitam ducunt, ante alios apud eum magna deteſtantur flagitia; exactam probitatem, & fortaſſe etiam pietatem profitentur, quam æquiſſimam putant, quia ſingula expendentes nihil, quod conſcientiam vulneret, intuentur. Mundi uſus, & multitudo animos facit; ſeſe mutuo decipiunt, neque cogitant, eos, quos ſequuntur, eſſe *non viæ duces, ſed erroris comites*, ut S. Hieronymus inquit. *Idem*.

Inanes excuſationes, falſique prætextus mollem vitam ducentium.

Fruſtra his mortalibus perſuadere contendimus, ut de eo, in quo ſunt, periculo cogitent: ſemper in eadem hærent ſententia, & quærunt, quid mali faciant? Utrum aliena rapiant, & proximo negant, quod illi debent? utrum iracundi ſint, ultores, detractores, libidinoſi? Semper id repetunt, neminem damnari, ubi nihil ex iis, quæ a Deo prohibita ſunt, faciat; & juxta ſpecioſum hunc canonem, quem more ſuo interpretantur, audent arbitrari, ſe in via ſalutis incedere. Palam quidem fatentur, ſe in perfectorum numero non eſſe; ſe tamen in peccatorum numero eſſe fateri nolunt; neque advertunt hanc vitæ inutilitatem, cui innocentiæ velum prætendunt, crimine nequaquam vacare; ex diametro oppoſitam eſſe diſciplinæ Jeſu Chriſti, qui illam ſexcenties in Evangelio anathemate perculit; utque omnia verbo complectar, ſecundum fundamentales fidei noſtræ regulas, maximum coram Deo malum eſſe, nihil boni operari. *P. Girouſt De vita inutili tomo 1. Adventus*.

Eorum mortalium mollities, qui immodicis fatigantur curis, ut a ſe quodvis arceant incommodum, ut plurimum noxia eſt. Periculum enim eſt, ut virtutem in diſcrimen adducunt, quæ ubi ſtandi occaſio adeſt, infirmetur, & corruat. Hæc etiam mollities ſemper aliquid ridiculum habet. Minutæ hujuſmodi præcautiones, quas requirit, moleſta hæc vigilantia, quam inſpirat, tumultus, libido, inconſtantia, quæ illius comites eſſe ſolent, imbecillitatem, infirmitatemque irridendam deſignant. Mollities hæc æque contemptilis, ut parum chriſtiana ſeipſa fallit, ac in caput ſuum illud vertit malum, quod vellet effugere. Qui per ſummum dedecus ita vitæ hujus commodis, & deliciis inhæret, cur ſeſe demittit ad moleſtum hoc examen rerum omnium, quæ mollitiei ſuæ vel facere poſſunt, vel advertere? *Liber cui titulus; Animadverſiones in varia religionis, Ethicaque argumenta*.

Scripturæ contra mollitiem hanc teſtimonium.

Salvator aſſerit, eum, qui crucem non bajulat ſuam, dignum non eſſe, qui ipſius vocetur diſcipulus. Dives nequam in inferno ex Evangelio non alterius ſceleris videtur reus, niſi quod mollem, voluptuariamque vitam duxerit, atque in ſuperfluas menſæ delicias abſumpſerit, quod in pauperum ſolatium erat erogandum. Viduam in deliciis viventem, mortuam eſſe, teſtatur Apoſtolus; qui ſuadet, ut corpora, quæ ſunt ſuper terram mortificemus. Ille corpus ſuum ſevere caſtigat, & redigit in ſervitutem, ac palam docet, omnibus Jeſu Chriſti diſcipulis carnem ſuam eſſe cum concupiſcentiis ejus crucifigendam. Quænam fuit iniquitas Sodomorum, & domus Juda? Propheta Ezechiel interrogat. Filiæ ſæculi, quæ putatis monſtroſam hanc mollitiem, cui voſmet penitus abdidiſtis, cum Chriſtianarum nomine conciliari poſſe, aurem adhibete terribilibus Prophetæ verbis. Quænam fuit, inquit ille, iniquitas Sodomorum, niſi ſuperbia, immodicus, exquiſituſque cibus, affluentia, mollities, & ignavia filiarum ſuarum? Contremiſcite vos, quæ voſmetipſas in hoc tamquam ſpeculo deprehenditis; hæc vitæ, quam ducitis, mollities abominabiles flammam ſuccendit, quarum ſcintillæ in præſens fortaſſe etiam tempus evolarunt. Heu! inquit Dominus Deus veſter, ſcitote, quod infelix ea civitas, & civium ejus filiæ ſcelera veſtra non exæquarunt: *Vivo ego, dicit Dominus, quia non fecit Sodoma ſoror tua, ipſa, & filiæ ejus, ſicut feciſti tu, & filiæ tuæ*. Ezech. 6. Attamen, hiſce perſtrepentibus minis, in utramque aurem ſtertimus, tantumque luxus, mollitiei, ignaviæque videtur, quantum numquam antea. *Eſſais de ſermons pour l'Avvent. tom. 1.*

Voluptates, & ſolatia, quibus in hac vita molli indulgemus, ſunt peccati occaſiones.

Amor proprius te ne ita excæcat, ut celet periculum, quod inſtat omnia commoda, voluptateſque ſuas inquirenti? Nonne vides hæc omnia voluptatum objecta tentationes eſſe, & peccati occaſiones? Vetita non ſunt; innocua ſunt, dicis. Illa quoad tibi placuerit, tuere, & proba; ego tamen cum Spiritu Sancto per os Sapientis loquente reponam, creata omnia poſt primi homini ſcelus facta eſſe objecta odii, & abominationis, non ſecus ac ſunt occaſiones peccati, & laquei temere depereuntibus illa. Hinc magnum illud fluit Ethicæ chriſtianæ principium ad ſalutem acquirendam, tuendamque innocentiam opus eſſe animo a terrenis omnibus ſejuncto, atque divulſo. Ante peccatum homo ferebatur in Deum, & bonorum mundi uſu recto ſanctificabatur; poſtmodum vero eorumdem carentia, & ſeparatione ſanctificandus eſt. In terris nullus amplius eſt pro homine peccatore paradiſus; nullæ deliciæ, nulla voluptas; ideoque illa perquirere, in illa curam, ac induſtriam omnem impendere, atque ex iis habitum, negotium, vitæ rationem efficere, idem eſt ac cœleſtibus abrenuntiare gaudiis; quæ nonniſi terrenorum fuga acquiruntur. *Pater Camaret tomo 2. libri cui titulus, Purus, perfectuſque Chriſtianiſmus*.

Fuga voluptatum, rerumque omnium, quæ ſenſibus blandiri poſſunt, neceſſaria eſt tuendæ gratiæ, ac ſervandæ innocentiæ, quam nobis Jeſus Chriſtus promeruit; etenim poſt primum ſcelus in his rebus omnibus, quæ mundi bona vocamus, in his voluptuariis objectis remanet maligna quædam infectio, quæ ſecum in animam uſque defert corruptiones, quantumvis modicum hæc illis oblectatura immoretur. Hujus rei tot nobis funeſta ſuperſunt exempla, ut neſciam, quomodo vel ipſum voluptatis nomen non horreamus, neque ſatis paſſim ſtupiditatem, vel illuſionem quorumdam hominum admirari, qui Aſceticum vivendi genus profitentur, & qui ſenſibus, menti, & cordi ſuo facultatem ſeſe effundendi relinquunt; quaſi nullum ſibi immineret periculum in earum omnium uſu, quæ naturæ, & amori proprio blandiuntur, & in molli, voluptuariaque vita, quam ducunt. *Auctor Anonymus*.

Parum illud obeſt, quod in hoc vitæ genere fit non prohibet damnationis periculum.

At enim aliquot bona opera fiunt, preces funduntur, erogantur eleemoſynæ in hoc vitæ genere. Non inficior; verum minorine cupiditate ſenſuum quæritur oblectatio? Numquid melius diſpoſitus es ſeveræ pœnitentiæ, quam ex te divina exigit juſtitia? Evangelii dogmata non ignoras; religionem tenes; inde ergo judicium fer de hac pietate, quæ tuam palpat ignaviam; eas enumera actiones, quas Deo offeras aliquando, ut aliqua cum æquitate ab eo gloriam obtineas. Poſtquam inter mollis, inertiſque vitæ oblectamenta vitam traduxeris, tandem morti proximus fies. Fideine conſonum eſt, ut repente animum ab iis rebus avellas, quæ hactenus tuum gaudium, tuaque requies fuere? Quis ſpondere vellet pro ſinceritate ejus ſacrificii, quod facturus eris eorum bonorum, quæ tibi inevitabilis aufert potentia? *Auctor Anonymus*.

Dei viventis militiæ dedimus nomen, atque per baptiſmi noſtri Sacramentum juravimus, Tertullianus lib. adv. Marc. ait: *Vocati ſumus ad militiam Dei vivi jam tunc cum in Sacramenti verba reſpondimus*. Polliciti ſumus ſub Dei vexillis, & pro ejuſdem gloria nos pugnaturos. Unde colligit ad ſpirituale hoc bellum rite bellandum conſtantia nobis opus eſſe, & delicatam mundi mollitiem eſſe abdicandam: *Nemo miles ad bellum cum deliciis venit*. Qui deliciis aſſuetus eſt, bonus miles eſſe non poteſt; non debet eſſe mollis, ſi vult in aciem deſcendere. Æquiori jure dicendum eſt, Chriſtiano viro plurimum fortitudinis opus eſſe, ut ſalutis ſuæ inimicos impugnet, & Chriſtianæ religionis officiis perfungatur. *Biroat in Adventu ſermone undecimo*.

Mollis hæc vita non eſt vitæ JeſuChriſti conformis.

Hæccine vita chriſtiana eſt, quæ conformari debet vitæ Dei pro vobis crucifixi? Hæccine vita fervens, quæ pretium eſſe debet æternæ felicitatis, veſtræque prædeſtinationis fundamentum? hæccine vita illa ſolitaria, quæ mundo abdita eſſe debet, & abſcondita in Jeſu Chriſto? hæccine vita mortificata, dura, & auſtera, ſenſibus, omnibuſque ſenſuum voluptatibus contraria, quæ proprium efficit characterem legis filii Dei; & quæ una tantum in Evangelio illius probata eſt? Participes eſſe vultis gloriæ illius, verum quonam pretio illam emiſtis? quos titulos profereris? In Regno illius vultis admitti. Cur autem? & quo jure? Numquid quia ſemper in iis locis fuiſtis, quo mundus vos pertrahebat? ſemperque in profanis cœtibus, ubi auſteritas nulla reperiebatur? Gloriam hanc æternum poſſidere quæritis veluti unicum finem, ſupremumque bonum veſtrum. Cur? Num quia dum vixiſtis, illius ſemper eſtis obliti? Pura cœli gaudia petitis. Cur? Num quia in vita indeſinenter fallacibus terræ deliciis perfrui concupiiſtis? Nonne e contra propter hanc ipſam cauſam repellendi eſtis, reprobandique? *P. Girouſt in Adventu. Tomo 1. ſermone de inutili mundi vita*.

Inter duos hoſce paſſionis, & volutatis ſtatus, medium vobis aperire conamur, quod commodorum utriuſque ſit particeps, expers autem incommodorum. Quodnam autem chimericum hoc medium eſt, neuter hic ſtatus? Vita mollis eſt, ignavaque ab Evangelio reprobata, vita plurimorum fidelium, qui

Jeſu Chriſti doctrinam ſe credere profitentur, cum nihil eorum vel facere vel pati velint, quæ ille, & fecit, & paſſus eſt. Hæc enim ea ſunt, quæ facimus: requiem perdite amantes, duos illi magnos obices invenimus, mundanæ vitæ ſtimulos, quæ nos ad infernum adducit, & vitæ ſanctæ, quæ nos per ſeveritatem ad cœlum attollit, auſteritatem. Dum alterutrum eligendum nobis eſt, animum quidem adjicimus mundo relinquendo, virtutique amplectendæ; verum non ſine duplici præcautione; quorum altera eſt ne quid ex mundo relinquamus, niſi quod criminoſum eſt; altera ne ex virtute recipiamus, niſi quod in ea commodum invenitur. *Sermo pro feria ſecunda Paſchatis, Anonymi Auctoris*.

Qui Deo non ferventer inſervit, mundi irriſiones pati non poteſt.

Etiamſi non aliud nobis ferendum eſſet præter irriſiones, improbaſque mundi cenſuras; illis ne ferendis ignavæ hujuſmodi animæ pares ſunt? Mundus naturali antipathia eos urget, qui ſalutem ſuam in via pietatis inquirunt; ſed ſemidevotos potiſſimum, ac tepidos perſequitur. Illos per intervalla excitat neque parcit; ſincera enim, firma, & conſtans devotio reverentiam potius, quam mundi irriſiones ſibi conciliat. Infirma tantum, & ambigua pietas in mundo contemnitur, & irridetur. Hæc futilis, & ridicula habetur; vos autem levem hanc virtutem eligitis, tamquam certam, tutamque viam, cui mundus bellum indicit. In irritum cederet conatus ejus contra illum, qui vere virtutem amplectitur, quandoquidem mundi irriſiones contemnit; at non id ipſum de illo dicendum eſt, qui mundum inter, Deumque hæret, hic mundi irriſiones ſuſtinere non poteſt &c. *Idem*.

Cum luſtralibus aquis ablueremini, carni abrenuntiaſtis; hoc eſt polliciti eſtis futurum ut non viveretis ſecundum ſenſus; recepiſtis criminum loco vos habituros mollitiem, ignaviam, voluptates, atque ut Apoſtoli verbis utar, ſpopondiſtis futurum ut carnem veſtram crucifigeretis, & corpus veſtrum redigeretis in ſervitutem. Hic non eſt perfectionis ſtatus, qui diſciplinæ ſeveritati innitur; votum eſt ſolemne, quod ſanctiſſimo omnium religionis actuum incumbit. Non eſt conſilium, ſed inevitabile chriſtianæ fidei debitum. Qui autem mollitiem videt, qua corpus excipitur; qui inertiam, ignaviamque intuetur, cui ſeſe homines mancipant, nonne illos Epicuri diſcipulos potius, quam Jeſu Chriſti Eccleſiæque illius filios appellat? *Pater Maſſillon ſermone de exiguo electorum numero*.

Amor voluptatum cum Chriſtiana vita conciliari non poteſt.

Adeo communis, & univerſalis cæcitas, cui mederi hoc in loco animus eſt, in eo poſita eſt, quod putant mortales invenire ſe poſſe medium, ac temperamentum inter mortificatam, voluptuariamque vitam, in qua Chriſtiana virtus poſſit exerceri, quin eæ deferantur deliciæ, & commoda, quæ carnem, ſenſuſque palpant. Cordi, quod pronum eſt in voluptates, & alioquin quædam habet Religionis principia adeo utile videtur mundi hujus voluptatibus tranquille frui, quin interim ſpem beatæ æternitatis amittat, ut facile in hunc errorem ſe trahi ſinat, alterum cum altero poſſe conciliari, pura Evangelii dogmata amplecti, ſimulque mundi ſequi principia arbitretur. Naturam omnem ſenſuſque everteret, qui abſolute infelicem hanc ſequeretur inclinationem, quæ nos in omne flagitiorum genus pertrahit, omnibus conſcientiæ exprobrationibus, ſtimuliſque ſe ſubjiceret, dummodo vel modicum quid fidei, vel religionis haberet. Quid autem? dogmata hæc leniuntur, atque inclinationi huic modus injicitur; fingitur hic pœnitentiæ, crucis, & mortificationis ſpiritus pro illis tantum eſſe, qui ad ſublimiorem Chriſtianæ perfectionis gradum contendunt; eos vero, qui adeo ſublime non conantur, & quibus in altera vita mediocris fortuna ſufficit, poſſe in hac citra metum ſibi plura permittere. Pro libidine ſibi religionis ſyſtema confingunt conflatum cum ex iis, quæ in Chriſtiana vita facillima ſunt, tum ex iis, quæ in vita voluptuoſa minus ſunt nefaria: ex vita quidem molli enormia crimina, & nefaria ſcandala; ex Chriſtiana vero cruces, humiliationes, atque pœnitentiæ, & mortificationis ſpiritum auferunt. Tres ſibi characteres effingunt, primum quidem hominis ſancti, alterum voluptuoſi, ac mundani, tertium vero Chriſtiani communis. Sancto in partem tribuunt pœnitentiam, nec non puriſſima Evangelii dogmata pro vitæ ipſius norma. Voluptuoſus cum omnibus ſignis perditi hominis; ac palam in omnem licentiam, & petulantiam effuſi deſcribitur. In Chriſtiani vero tabula ex utroque nonnihil commiſcetur; ex voluptate aliquid, & ex virtute quoque aliquid ad illius proponendam imaginem ſumitur. Pietatis exercitia quarumdam voluptatum perfruitione leniuntur; hæ vero voluptates aliquot piorum operum praxi temperantur. Sanctum quidem reverentur, & admirantur; voluptuoſum deteſtantur, & horrent; at hoc Chriſtiani phantaſma ſibi ad imitandum proponunt, eique eo fortius adhærent, ut ſeſe illi conforment, quo magis ſtatum hunc & tutum & commodum ſimul eſſe arbitrantur. *Manuſcriptus ſermo*.

Qui mollem ducit vitam nequit moraliter Dei mandata adimplere.

Quid vitæ mollis fautores objicient, præſentio. Inquient, mandatorum Dei obſervantiam ad cœlum promerendum ſufficere; ita reſpondiſſe Jeſum Chriſtum adoleſcentulo, ex ipſo viam, quæ ducit in cœlum, perquirenti. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Addent viam hanc non eſſe adeo arctam; delicias, & commoda quæ ſibi permittunt, divinæ legi nequaquam eſſe oppoſita. Non diffiteor equidem Divinorum mandatorum obſervantiam ſalvare nos poſſe; neque enim hoc in loco animus eſt gravius aliquid afferendi; verum Dei mandata ſervari poſſe commodam, & mollem vitam ducendo, hoc ſane diffiteor. Exiſtimo autem a Salvatoris mente, ac Evangelii ſpiritu non abludere, cum ajo, vos numquam Dei legem adimpleturos, niſi jugiter voſmet Chriſtiana mortificatione exercueritis; neque diffido vos quoque ſententiæ meæ acceſſuros, ubi abjectis falſis præjudiciis, quibus natura corrupta, & mundana educatio vos prævenire conſuevit, ſerio Jeſu Chriſti verba expendere volueritis. Salvator, qui Dei ſervat mandata, verum eſt; ſed verum quoque eſt neminem niſi per arctam viam ſalvari: hæc duo ſunt oracula, utrumque certiſſimum. Si primum creditis, quia illud Salvator edidit, alterum quoque ab eodem manavit. At ſi ſalvatur mandata ſervando; atque ſi in commoda mollique vita ſervantur mandata, quomodo verum eſt, neminem niſi per arctam viam poſſe ſalvari? Sin autem non niſi per arctam viam pervenitur ad vitam, quomodo verum eſt, in vita molli mandata Dei poſſe ſervari? Quæ veſtra ſententia eſt? Subſiſtat enim oportet duarum harum propoſitionum veritas; atque utriuſque conciliandæ ratio excogitanda eſt. Et ſane niſi lumini oculos, claudere velimus, ac noſmet ipſos excæcare libeat; quandoquidem verum eſt ſalvari Dei mandata ſervando, & non niſi in arcta ſalvari via, nonne inferendum eſt ad Dei mandata ſervanda per arctam viam eſſe incedendum? Non aliam video rationem, qua utriuſque hujus oraculi veritas probari poſſit, audeoque provocare amorem proprium, licet ſumma polleat induſtria, ut alteram inveniat viam ſimul conciliandi hæc duo certiſſima effata, niſi fortaſſe aſſerere velit, mollem hanc vitam arctam eſſe viam Evangelii. *Idem*.

Salvatur qui Dei ſervat mandata, & non ſalvatur, niſi qui carnem ſuam odit. Salvator utrumque teſtatus eſt. Non ait ille, qui corpus, carnemque ſuam amaverit, perfectionem non aſſequetur, ſed damnabitur: *Qui amat animam ſuam, perdet eam*. Matt. 10. & 16. At corpori ſuo omnes delicias, omniaque commoda procurare; guſtum non mortificare, niſi cum eidem ſatisfaciendi ratio deeſt, oculis permittere, ut omnia videant, linguæ, ut omnia dicat, auribus, ut omnia audiant; cor ſuum non niſi mundi hujus oblectamentis, & voluptatibus paſcere; meliorem Dei partem in ſtrati, ſomnique mollitie langueſcere: mundanis ſeſe comere ornamentis; ac pro ſæculi varietate varios ornatus inducere, tempus in turpi otio perdere: jejunium Quadrageſimale horrere; ſe diſpenſare ob ineptos prætextus, & levia incommoda ab omnibus pœnitentiæ exercitiis; ſe ipſum æternis veritatibus legendis, ac meditandis, non poſſe ſubmittere: hoccine eſt ſuum corpus odiſſe? Hoccine eſt viam ſalutis amplecti? &c. *Idem*.

Mollem vitam ducentes inimici ſunt Crucis, & Dei crucifixi.

Numinis cultus neceſſario cogit, ut noſmet juxta illius exempla conformare velimus: *Summa religionis eſt imitari quod colimus*. S. Auguſtinus inquit. Quodnam autem majus noſtræ adorationis objectum? Quem Deum in Chriſtiana religione colimus? nonne Deum Cruci ſuffixum, qui cum totum vitæ ſuæ ſpatium inter labores tranſegerit, tandem inter exquiſitiſſimos cruciatus animam efflat, ac poſt mortem in Cœlum aſcendens illuc ferre voluit ſua vulnera, ut æternum præſens haberet dolorum, & Crucis ſuæ monumentum inter ipſius gloriæ ſuæ gaudia? Hoc eſt Chriſtianæ religionis numen. Igitur verus non eſt Dei cultor, ideoque nec verus Chriſti fidelis, qui non ſolum labores illius non imitatur, verum etiam pro virili illos amovet, atque ex animo ſuo omnem delet mortificationis, doloriſque cogitationem; qui numquam eas ſibi negat voluptates, quas verecundia, & valetudo permittere poſſunt. Nonne ita affecti ſunt mortales omnes voluptuoſi? Nonne vitæ ſuæ ratione ſatis oſtendunt, ſecreto atque in corde ſuo improbare dolores, quos Jeſus Chriſtus in Cruce paſſus eſt, ne naturali hoc inſtinctu, qui a religione ſeparati non poteſt, imitari

cogantur quod colunt? Neque enim hæc ipſe meo marte loquor; hæc S. Auguſtini ſententia eſt: *Diſplicet delicatis, quod Deus cruciatus eſt.* Hoc uſque mollitiei, amoriſque voluptatum, quæ culpa vacare putantur, crimen evadit. *P. Champigni in Collectione electorum ſermone de malo divite.*

Quomodo vitæ mollities animam coram Deo nocentem efficia..

Eo in examine, quo mortalium plerique vitam ſuam excutiunt, ut illius nequitiam detegant, ſolatia, aſſiduaſque voluptates, quibus ſeſe abdunt, non niſi ſeorſim, ac ſingillatim in propriis, peculiaribuſque earum circumſtantiis inſpiciunt. Qua in re cum nihil videatur oppoſitum legibus verecundiæ, atque modeſtiæ; omnia honeſta, rectaque eſſe arbitrantur. Ita voluptates has nequaquam in perenni decurſu, ac non intermiſſa earum ſequela conſiderantibus, hæc mollis, & voluptuaria vita, nequaquam illis æque nocens videtur, uti eſt. Nocentem appello, quia cor terrenis rebus agglutinat, ac efficit, ut in illis ſuam oblectationem, & requiem inveniat. Nocentem appello, efficit enim, ut Cœli obliviſcantur, vel illud nullo in diſcrimine habeant. Nocentem appello, quia perpetuo voluptatum progreſſu ſeſe opponit inevitabili crucis ferendæ, ac exercendæ pœnitentiæ neceſſitati. Nocentem appello, quia otioſa, & inutilis eſt negotium, laboremque fugiens, atque animæ eam conſtans maledictionem, de qua ſermo eſt in Evangelio, ubi de arbore nullos fructus ferente. Nocentem denique appello in hoc ipſo, quod peccatorem excæcatus, cui ſtatus ipſius periculum abſcondit, conjicit eum in inexcuſabilem potiſſimorum officiorum ipſius ignorantiam; quæ inde oritur, quod varia hæc voluptatum, oblectamentorumque genera ſeorſim tantum, non autem in ea unione, qua criminoſa fiunt, conſiderantur. *Id.*

Mollis hæc vita oppoſita eſt arctæ viæ, per quam Chriſtiano viro incedendum.

Arcta via eſt, quæ ducit ad vitam. Matth. 7. Dei filius non ait, viam, quæ ducit ad perfectionem, ſed quæ ducit ad vitam arctam eſſe; neque ait viam quamdam, quæ ducit ad vitam, arctam eſſe, quaſi non deeſſet altera; ſed abſolute ait, arctam eſſe viam, quæ ad æternam vitam adducit, ut intelligamus, hic tranſeundum eſſe omnibus, qui in cœlum pervenire conantur. Conſiderate quæſo, quoties apud SS. Matthæum, & Lucam hoc ipſum repetat: *Arcta via eſt, anguſta via eſt, contendite intrare per anguſtam portam.* Semelne dixit ullam eſſe viam ſtratam, facilemque operandi ſalutem ſuam? Si vel una extitiſſet, eamne ignoraſſet? Si eam agnoviſſet, numquid nos illam celaſſet? Sin autem illam ignoraſſet; quo jure ille ſe ipſum veram viam, præſtantiſſimumque ducem vocaret? *Ego ſum via veritas, & vita.* Joan. 14. poſtquam illam detexiſſet, nobis eam voluiſſet abſcondere, nonne juſta nobis eſſet in re tanti momenti de eodem querela? Numquid conqueri poſſemus, quod nos inutili ſarcina onerare voluerit, nos deducens per difficilem, præruptam, ſilicibus, ſpiniſque oppletam viam ad eum terminum quo per ſtratam, facilem, floribuſque ridentem ſemitam potuiſſet adducere? Attendite potiſſimum quomodo itineris hujus difficultates exaggeret: *Quam arcta, & anguſta via eſt!* Si mollis, & commoda vita, quam tot ducunt fideles arcta haberi poſſet, cur tanta cum emphaſi acclamaret? *Quam arcta, & anguſta via eſt?* Matth. 7. Sed præ cæteris animadvertite, Salvatorem de duplici tantum via loqui, altera quidem arcta, lata altera, nullum tertiæ veſtigium videmus; cumque reprobi omnes per latam hanc incedant viam, hinc ſequitur, idque palam, ut mihi videtur, omnibus prædeſtinatis indiſcriminatim per arctam viam eſſe incedendum. His poſitis, quæ illuſio, quæ cæcitas eſt, arbitrari in facili, molli, commodaque vita poſſe aliquem ſuæ ſaluti conſulere! *P. Haineuve, libro cui titulus, Magna via quæ mundum perdit.*

Non perfunctorium ſolatium, ſed non intermiſſa ſolatiorum catena mollem efficit vitam.

Recordamini quæſo quæ a nobis dicta ſunt, non particulare aliquod ſolatium, quod per occaſionem ſeſe nobis offert, atque intra decori fines; ſe continet, non perfunctoriam voluptatem efficere criminoſum hunc mollitiei ſtatum, quem damnamus, criminoſus enim fit voluptatum jugi nexu, & catena, cum alia relinquitur, ut alteri animus appellatur; cumque vita, vel ſaltem potior vitæ pars ſuaviter inter commoda, deliciaſque traducitur. Atque ut æquior adſtruatur idea, qua mediocris fortunæ mortales non ſecus ac viri Principes comprehendantur; dicimus vitæ mollitiem, qui ſtatus eſt damnationis, ad hoc redigi, ut vita pro libidine ducatur, atque ſuaviter mundi hujus bonis perfruatur. Hoc infinitas propemodum animas perdit. *P. Champigni, ſuperius memorato ſermone.*

Non deſunt, qui volunt quidem Jeſum Chriſtum ſequi, ſed per latam viam ſequi volunt, neque pati poſſunt ſibi verba fieri de arcta via, de qua loquitur Evangelium: verum hiſce mortalibus objiciendum eſt aureum illud S. Auguſtini effatum: ſi vere Chriſtianus es, per Jeſu Chriſti viam debes incedere: *Ipſe eſt Chriſtianus, qui non aſpernatur viam Chriſti.* Non eſt cur noſmet hac in re decipiamus, neque dicamus longe plures latiori inſiſtere via: ſcite enim Sanctus idem Doctor addit: *Dura videtur, ſed ipſa eſt tuta via; alia forte delicias habet, ſed latronibus plena eſt: noli per aliam velle ire, quam per illam qua ipſe ivit.* Quidquid mortales recinant, cave ne aliam amplectaris præter eam, quam Jeſus Chriſtus elegit. Dura ſane hæc videtur, ſed tuta, certaque eſt. Oſtendent illi fortaſſe ſtratas ſemitas, ſolatia crimine vacua, colloquia, ſocios cum quibus hilariter tempus traducere valeas: Aliquid fortaſſe adverſi accidet tibi, ut tua conſcientia quieſcat; ſed permittent, ut mundum videas, interſis ſpectaculis, omnibus hilaritatis cætibus adſis, vitam denique mollem, & deliciis affluentem ducas: hoc eſt efficient ut eam ingrediaris viam, de qua loquitur Salomon, quæ recta quidem incedenti videtur, cujus tamen exitus ducit ad interitum. Huc tandem hoc vitæ genus tendit, cum Deum inter hæret, & mundum. *Liber cui titulus, Chriſtiana Rudimenta, &c. pro vigeſima ſecunda poſt Pentecoſten Dominica.*

Reſpondetur objectioni, quæ huic argumento potiſſima ſolet eſſe.

At enim quid mali eſt, ludere pſallere, choreas agere, comœdiis adeſſe? quomodo hæc damnare potes ſolatia, quin ſimul & ſummos viros, & ſanctiſſimos Confeſſarios damnes, a quibus hæc permittuntur? Non abnuo huic aliquando occurrere objectioni, qua pluries fortaſſe uſi fuiſtis. Primum, licet actiones iſtæ ſeorſim ſumptæ culpa vacarent, ajo, ſimul ſumptas non amplius carere noxa; & adeo prolixam voluptatum ſeriem neceſſario eſſe criminoſam. Si minime nefas eſt per intervalla ſpiritum relaxare; numquid fas eſt totum vitæ ſpatium in juges voluptates impendere? Numquid ad id vos creavit Deus? Opuſne erat, ut Dei Filius humanam carnem aſſumeret, ut pauper fieret, ut tandiu ſuper terram in caligine, in laboribus, in perſecutionibus viveret, mortemque ſubiret vobis gratiam promeriturus, ludendi, ſaltandi, novas in ſingulos dies voluptates quærendi, ac nullam ex iis prætermittendi, quas nequaquam abſolute nefarias, & inhoneſtas exiſtimatis? Secundo, verum eſt, Deum, qui noſtram agnoſcit infirmitatem, qui ſcit, nos non eſſe Angelos, & non poſſe vacare ſemper orationi vel negotiis, aliquod nobis ſolatium permittere: at permittitne, ut interminatis voſmet voluptatibus ingurgitetis? Permittitne ut unicum negotium veſtrum ſolatia eſſe putetis? Ut hæc tamquam finem vobis proponatis? Quæ major injuſtitia, quam omnia Dei ſervitio ſubtrahere, ut in ſolatium veſtrum impendatis? Quæ major iniquitas, facere ut quod additamentum eſt, caput rei fiat, ut ex additamento fiat totum? Hoc autem ipſi efficitis eo vivendi genere, cui conſueſcitis. *Pater le Valois in undecima Epiſtola de Receſſu.*

Chriſtiani in Baptiſmo huic molli, inerti, ac voluptuariæ vitæ abrenunciarunt.

Cum luſtralibus aquis abluti fuimus per eos, qui nos Eccleſiæ præſentarunt, palam profeſſi ſumus, quod pompis, ſatanæque operibus abrenuntiabamus. Hæ autem pompæ non aliud ſunt, quam hæc vanitas ſæculi, hæc mollis, profanaque ignavia, immodicus luxus, voluptatum, deliciarumque cupiditas, commodorum nimis diligens perquiſitio, carnalis requies, hoc denique amoris proprii regnum, quod vulgo in mundi hujus ſpiritu viget. Cum hoc vitæ genus amplectimur, nobis blandimur, noſque excæcamus; erroneam conſcientiam nobis confingimus, ac pernicioſam ſecuritatem, dummodo cupiditas abſit, in graviora proruendi flagitia. Salutis noſtræ inimicus omne ferme tulit punctum, cum e votis illi accidit, ut in inutilem vitam adduceret, nobiſque perſuaſit commodorum, deliciarumque rebus in omnibus perquiſitionem innocentem eſſe, vel ſaltem non eſſe nocentem. *Liber, qui inſcribitur, Solitudo Chriſtiana, Epiſtola quarta Solitarii cujuſdam.*

Vitæ mollis deſcriptio, & mala quæ inde proficiſcuntur.

Quid de illis cogitandum, qui nullam adhibent curam, niſi ut omnium anni temporum varias ſubinde voluptates ſibi procurent; ut hyemalibus choreis, & conviviis vernas deambulationes ſubſtituant; ita ut totum vitæ ſpatium non ſolum in otium, ſed in voluptatum perquiſitione ducatur? Quibus crapula quotidianum eſt prandium, alea negotium, comœdia a ludis ceſſatio? Nonne hoc ſatis eſt, ut palam decernatur hujuſmodi vitæ genus vitam non eſſe Chriſtianam, ideoque in ea ſaluti ſuæ conſuli nequaquam poſſe? Verum ſi hunc voluptatis ſtatum ex effectis, & vitiis, quæ illum ſubſequuntur ſpectare velimus, heu quam metuendum eſt! Inde enim mollities oritur, quæ corpus enervat, viriumque defectus, qui illud pœnitentiæ laboribus impar efficiunt. Hi ſunt homines voluptatibus dediti, qui a jejuniis, irrogataque abſtinentia diſpenſationem

tionem obtinere conantur; illi denique, qui carnis macerationem magis indigerent, ſeſe eidem perferendæ reddunt ineptiores .... Inde etiam oritur injuſtitia, avaritia, uſurpatio: ut ſuppetat unde voluptati inceſſanter ſubminiſtretur, utraque manu rapiendum eſt, æris crediti reliquias per vim cumulandæ, opifices delaſſandi, domeſtici mercede fraudandi; oppignorandum fænerandumque eſt, & fortaſſe turpibus voluptatibus ſeſe proſtituere opus eſt, ut honeſtis voluptatibus provideatur. Ex voluptuaria vita hac oritur etiam Dei, officiorumque religionis oblivio. Quinam divini verbi contemptus! Quænam Sacramentorum infrequentia! Quæ negligentia orationis! Quæ myſteriorum ignorantia! Numquid ulterius aliquid exquiritur, ut pereas? *Sermo Manuſcriptus P. Franciſci Catrou.*

Hoc vitæ genus culpa vacare non poteſt.

At enim, licet his voluptatibus indulgeamus, nonne hoc vitæ genus culpa vacat? Hoc ille prætextus eſt, qui mortalium voluptatibus mancipatorum converſionem efficit difficiliorem. Verum quid amplius egit malus dives? Vitæ præſentis bonis uſus fuerat; vitam in deliciis egerat: hic illius ſtatus erat: *Epulabatur quotidie ſplendide.* Luc. 16. Singulis diebus exquiſitiſſimis epulis menſam inſtruebat. Qua in re Sanctus Chryſoſtomus animadvertit, peculiares quaſdam voluptates nequaquam fortaſſe cauſam futuras fuiſſe, ut in nullam reditus ſpem interiret, ſed propter voluptatis habitum damnatum fuiſſe: *quotidie.* Verum igitur eſt mollem hanc, voluptuoſamque vitam ſtatum eſſe damnationis, ſive illa ſpectetur in peculiaribus voluptatum, quibus ſe ingurgitat, ſpeciebus; ſive pro generali voluptatum, deliciarumque omnium frequentia accipiatur; Væ igitur illis, qui eas guſtant, qui eas requirunt, qui illis inſerviunt, eaſque unicum, potiſſimumque vitæ ſuæ negotium efficiunt. *Væ vobis, qui ridetis.* Luc. 6. *Idem.*

Divites, ac nobiles putant ſibi jus eſſe mollem vitam ducendi.

Divites, præſertim nobiles, & qui in aula verſantur, jure ſuo ſibi perſuadent omnes ſæculi pompas, atque delicias ad ſe pertinere. Conditionem ſuam ſibi permittere, ut mollem, inertem, ac voluptuoſam vitam traducant; ut ſuæ ambitioni, cupiditatibuſque omnibus ſatisfaciant, ut omnia commoda quærant; denique contendunt mundum univerſum hæreditatem eſſe ſuam, ac ſe eodem pro libidine uti poſſe, quin ullæ divinæ humanæque leges ullos ipſis terminos poſſint ſtatuere. Hinc ſe a jejuniis atque omnibus auſteritatibus, quæ ſibi incommodant, ſe facile diſpenſant: nolunt ſibi verba fieri de iis, quæ requiem ſuam poſſunt perturbare. Homines quærunt, qui ſibi blandiantur, qui cupiditatibus ipſorum velificentur; qui omnes vitæ voluptates illis omni ratione deguſtandas præbeant. Summa cura metus omnes, atque conſcientiæ ſtimuli removentur, ne eorum gaudia turbent, vel minuant; quodcumque faciant, pax illis nunciatur, neque ulla ipſis devotio proponitur, quæ ab illorum ſtudiis abhorreat. *De Sancta Martha Tomo ſecundo Tractatuum Aſceticorum de neceſſitate mundum fugiendi.*

Qui mollem vitam ducunt de ſententia decedent, cum erunt morituri.

Qui virtutem profitentur, & Chriſtianam mortificationem exercent, habentur tamquam ſimplices, rudes, inutiles, quia omnibus voluptuariis cœtibus non interſunt; extortes a mundo, ab honeſtorum virorum commercio ſepoſiti, indigni, qui in ſplendidis eorum conventibus videantur; homines denique vivere neſcii, & quorum miſerentur. Sed pauliſper expecta; fulgidi hujuſmodi dies obſcurabuntur; ſplendor hic, qui faſcinat, ac tumultus, quo ſtuporem ciet, ceſſabunt; gemitus, amaræque pœnitentiæ omnibus his deliciis, parumque Chriſtianis feſtivitatibus ſuccedent; mors oſtendet, quinam fuerit ſapientior. Hi felices ſæculi, mundi opibus gaudentes, atque ſua ſorte ſuperbi ſub extremum vitæ ſpatium hilaritatem, inanemque ſuperbiam ſuam ſuſtinebunt; numquid mollis, & voluptuaria vita ſua illis placebit? *P. Croiſet in ſpiritualibus conſiderationibus.*

Fallaces eorum ſenſus, qui vitæ commoda quærunt.

Nihil majorem ciet indignationem, nihil Chriſtianam mentem magis avertit, quam videre quanam fallaci ſecuritate voluptuarii mortales ſententias ſuas venditent. Qui illos imperioſo vocis tono ratiocinantes de diſciplina, deque religionis dogmatibus audiret, diceret quidem, Sanctos Chriſtiane vivendi artem ignoraſſe, & mundanos tantum verum Evangelii ſenſum aſſecutos fuiſſe. Vita Chriſtiana, ex eorum ſententia non eſt amplius laborioſa, mortificataque vita, cujus exempla Dei filius nobis reliquit; ſed mollis, deliciis affluens, omniumque auſteritatum inimica. Cœlum non eſt amplius illa terra promiſſionis, quo non niſi per plures victorias aditus patet; ſed ex eorum mente ager eſt quacumque pervius, & cujus ſemitæ omnes ſtratæ, & faciles ſunt. Si ex eorum vivendi ratione judicium ferre lubeat, cœleſte regnum quod ſanctiſſimo cuique tanto ſtetit impendio, nunc proſtrat omnibus leviſſimo pretio comparandum. Perpetua illa vis, de qua loquitur Jeſus Chriſtus, ad eos tantum pertinet, qui integram, ſceleriſque puram vitam ducunt, pœnitentia vera peccatoribus tantum relinquenda eſt. Mirum eſt, in mundo adeo craſſum errorem non agnoſci; & magis adhuc mirum, in hoc errore perſeverari, ſi agnoſcitur. Numquid alta opus eſt meditatione, numquid ſublime ingenium requiritur, ut horum ſenſuum nequitia deprehendatur? *Idem.*

Mollities, & iners vita Chriſtiana eſſe non poteſt.

Deambulationi ludus, ludo ſpectaculum ſuccedit. Ad hanc ſolatiorum aſſiduitatem tota mundanorum cura redigitur, eorumque minus commentitia felicitas in hoc poſita eſt, quod nullam requiem inveniant. Hæccine, Domine, Chriſtiani vita eſt? Hæc tamen eorum eſt, qui mundo inſerviunt, hæ honeſtæ illæ voluptates, innocua ſolatia, quæ parum abeſt, quominus meritis adſcribantur; videlicet id quod Jeſu Chriſti diſciplinam evertit, quod Chriſtianam vitam annihilat, hodie in mundo fit ſplendida vita fidelium. Nulla ipſis amplius ſuſtinenda ſunt prælia, nulla ſibi vis inferenda; affectionibus tantum favendum eſt, atque obtemperandum. Mollis, & iners vita ſubiit in locum vitæ laboribus exercitæ, ac pœnitentis, quam Jeſus Chriſtus eſſe quodammodo jubet characterem, quo filii ſui dignoſcantur. Quidquid receſſum, modeſtiam, frugalitatem ſapit, nimis eorum ſenſus offendit, neque delicatis his voluptuoſis placere poteſt. Deliciarum ideis paſcuntur, temporis partem impendunt quærentes quomodo placeant, alteram vero ea, quæ ſibi placeant. Itane, Deus, fidelis inſtitutus fuit, ut ſuis tantum voluptatibus vacet, ac turpe otium nugis refertiſſimum graviſſimum negotium putet? *Idem.*

Tota Chriſtiani vita, ex Tridentino Concilio, jugis eſſe debat pœnitentia. Profecto, niſi ludus, deambulatio, voluptuarii cætus, cæteraque oblectamenta, quæ hodierna die ſunt maximum vitæ negotium, pœnitentiæ genera ſint, quænam mundanorum ſit pœnitentia, non liquet. Strato conſurgunt, ſeſe ornant, & comunt, de aliquo ſolatio inſtituendo decernunt, ludunt dulcibus alloquiis tempus terunt; de Deo vero fere non cogitant, Spiritus affectionum mancipium delaſſatur excogitans quomodo ſedari poſſint turbæ cordis ſemper eſurientis. Terrenæ hæ voluptates omnem æternorum bonorum auferunt guſtum. Non alia deſideriorum objecta ſunt, quam mundana gaudia; & hæc tota eſt Chriſtiani hominis vita. At enim hujuſmodi ſolatia culpa vacant, nempe ex horum mortalium ſententia, licet Chriſtiano dies omnes in æterna Dei oblivione traducere. Primas diei horas ſeſe ornando impendit; reliquum ſpatium ludo, ſexcentiſque contagioſis ſermonibus, futilibus nugis, cœtibus, ſpectaculiſque devovet; numquid infideli per hanc vitæ rationem te Chriſtianum eſſe probares? Nihil mali fit: verum nonne graviſſimum malum eſt nihil efficere boni, cum ſingulis horis bene facere tenearis, cumque certiſſime reprobandus ſis, niſi boni ſatis effeceris. Nihil mali fit. Quid autem? Vita nugis ſexcentis attrita, vita otio, & mollitie inebriata numquid Chriſtiana vita eſt? Sin autem Chriſtiana non eſt, nonne hoc ingens malum eſt? *Idem.*

Hæc voluptuaria vita omnino bonorum operum ſterilis eſt.

Hæc viciſſitudo, & ſæpe etiam congeries delitiarum, cœtuum, conviviorum, oblectationum, ſodalitatum, converſationum, ſpectaculorum, relinquitne interiorem requiem, attentionem, vigilantiam adeo neceſſariam, ut vox Dei audiatur, ejuſque gratiæ reſpondeatur? Amicorum coronæ aptine ſunt loci, ubi theſaurus iſte valere debeat? O Deus, quot gratiæ amiſſæ? earum vero irreparabilis jactura numquid mediocre malum eſt? At enim nihil mali fit; verum quid boni, quæ bona opera fiunt ad cœlum promerendum? Quis noſtrum ignorat, inertem, boniſque operibus vacuam vitam reprobatam eſſe? Ficus frondibus quidem ornata, ſed ſine fructibus, flammis adjudicatur. Servus parum induſtrius damnatur; Inertia ſola, ubi de ſalute agitur ſcelus eſt. Quid mali fit, cum ſolatiis locus tribuitur? Aliena bona non rapiuntur; ſcelera omnia evitantur; voluptates intra æqui fines continentur. Neque ob hæc reprobabitur quiſquam; verum ignoratiſne ſupremum Judicem reprobis ſingulariter eorum in bono ignaviam, inertiamque exprobraturum? Servus iners nequaquam damnatur, quia fuit in dominum ſuum rebellis, ſed quod talentum ſibi creditum in quæſtu non poſuit. Nemini affertur injuria: at nimis magnam vobiſmetipſis infertis. Nihil mali facitis, verum nihil boni facitis, mollem, ac voluptuariam, mundanam, & nullatenus Chriſtianam vitam ducitis; nonne hoc magnum malum eſt? *Idem.*

Mollis, inertiſque vitæ mundanarum mulierum deſcriptio.

Poſtquam primas diei horas cincinnis, & calamiſtris, vel alteri cuipiam nugæ æque inani impenderunt, ad extremum Miſſæ Sacrificium, tamquam ad conventum pulchrioris mortalium partis accedunt. Ibi vo-

voluptatum ineunt conſilia; ibi cœtuum loci indicuntur. Quibus parum honeſtis colloquiis ad prandium uſque detinentur! Deinde ſodalitatem, & converſationem quædam quietis intervalla condire non ceſſant, donec viſitationum excipiendarum, reddendarumque tempus ſimul cogit inertes. Tunc cætus ineuntur; tunc nectuntur conſilia; rurſus incipiunt privatæ comœdiæ, ubi quilibet ſuam ludit perſonam; & colloquia illa, quibus nugæ præbent argumentum, & quæ detractionis ſale condiuntur; neque enim in hujuſmodi otii, ignaviæque conventibus aliquid ſolidum, ac utile expectandum eſt. Attamen quemadmodum nullius rei magis tædet, quam otii ipſius, adeo indignis ſolatiis ludus, vel deambulatio immiſcetur. Deinceps ſpectaculis recreantur per aliquot horas; ac tandem nocturni cœtus finem injiciunt diei earum, quæ ſe Chriſtianas eſſe profitentur; videlicet quæ eam religionem ſequuntur, quæ vel minimum otioſum verbum damnat, & quæ ex omnibus aſſeclis ſuis exigit vitam puram, mortificatam, laboribus exercitam, & adeo exemplarem morum probitatem, ut ne minimam quidem pati poſſit relaxationem. Bona fide, quæſo, hæc una vita Chriſtiana vita eſſe poteſt? Qui religionis noſtræ vel prima vidit rudimenta, ignorarene poteſt, quanta ſeveritate hæc mollem, inutilemque reprobent vitam? *Idem.*

Fruſtra aliquis putat mollem hanc vitam culpa vacare.

Putant in molli hac vita omnia culpa vacare; ſed ex quonam tempore hi voluptuarii cœtus, qui ſunt quædam veluti otii, & ignaviæ gymnaſia, omniumque cupiditatum accademiæ, ubi omnia periculis, laqueiſque præpedita ſunt; ex quonam tempore, inquam, hi ſolatiorum omnium cætus facti ſunt innocentiæ perfugium; cum interim innocentia ipſa in tuto ſe minime credat in ſolitudine, horrentibuſque deſertis? Omnia ibi innocua ſunt, dicitis; verum omnia vos tentant, & ad peccatum ſollicitant; ludi, colloquia, ſpectacula, ipſa etiam inertia, omnia vos ſeducere conantur; & cor otio mollitum, ſexcentis periculoſis objectis tentatum, ſine ullo præſidio ipſa audacter pericula provocat, atque illis undique ſtipatus morum integritatem tuetur. Qui cor humanum intelligit, facilene perſuadere ſibi poteſt hoc vitæ genus culpa vacare? Profecto ſi hanc prætexentes cauſam ſe a pœnitentia, & Chriſtiana mortificatione diſpenſant, illi in gravi illuſione, vel potius in terribili cæcitate verſari dicendi ſunt. *Idem.*

Non deſunt, qui mollem vitam ipſi ducunt, erga alios vero auſteri ſunt.

Quomodonam vita mollis, & voluptuoſa, inconditi, liberique mores conciliari poſſunt cum inevitabilibus obligationibus, & cum eximiæ perfectionis lectionibus, quæ aliis traduntur! Honeſtus homo improbam odit fidem, nihil odioſum magis, quam ſimulatio cum de religione agitur: hypocriſis ubique execrabilis. Quomodonam ſeveræ diſciplinæ doctor, quomodo Directores tantæ probitatis, quos nihil fallit, qui ſtatim ac diſcipulos ſuos labi vident, contra morum relaxationem invehuntur, in ſemet indulgentes habent oculos, neque eadem utuntur menſura, qua dirigunt alios! ſolliciti ut illos in Dei præceptis erudiant, iiſque vel leviſſimarum noxarum metum injiciant; quomodo in propria perfectione oſcitantur; quam ignavi ſunt in Dei cultu, & interim quam inter æquiſſimos ſtimulos tranquilli! Undenam proficiſcitur admirabilis iſta ſecuritas in illis, qui periculum non ignorant, & qui tam belle illius effecta aliis ob oculos ponunt? Putantne iiſdem ſe legibus obnoxios non eſſe, vel aliquo frui privilegio, quo ab iis diſpenſentur? Nequaquam; verum hæc ars eſt ad flagitia ſua diſſimulanda &c. *Idem.*

In vita molli facile falſa fit conſcientia.

In errore, atque in ſententia Spiritui religionis, & Evangelio adeo oppoſita tranquillitas ſumma ſervatur. Crediturne, exempli gratia, mundanas mulieres inertem, mollemque vitam ducentes, quarum maxime ſeria negotia ſaltem ad ſalutem ſunt inutilia, ac ſæpe etiam evagationes funeſtæ, nequaquam intellecturas periculum, in quo ſunt, ſi cor ſpiritui liberum rationis luminumque ejus uſum relinqueret? Sed amor proprius imperat; omnia illi parent; illius tantum præcepta audiuntur, neque mirum eſſe debet, ſi ſecundum illius principia agatur. Nihil non æquum videtur eo in vitæ genere, ubi omnia amorem proprium, ſenſumque palpant. Itaque otium juge, inutilis vita, propriorum officiorum tædium, pietatis faſtidium, negligentia ſalutis, Dei oblivio, & ut verbo me expediam parum Chriſtiani mores; hæc omnia ſufficerent ad excitandas fidei, & religionis reliquias; ſed illuſio mirabili metamorphoſi cuncta ſubvertit, & univerſa ſub alienis, ſimulatiſque coloribus exhibet. *Idem.*

Omnes videntur Cœli vias faciles putare, & pœnitentiæ labores lenire.

Pœnitentia numquam minus placuit, numquam magis in horrore fuit. Videntur mortales omnes in id conjuraſſe, ut in mundo mollem, commodam, voluptuariamque vitam conſtituant: Jeſu Chriſti Crux lenitur, & infirmatur, ita ut nulla amplius illi durities, nullum inſit onus. Docuere nos Sancti, in Cœlum non niſi per aſpera, per ſpinas, & rupes eundum: nunc vero quantum fieri poteſt cœli via ſternitur, & ut ita dicam, floribus ſpargitur; & illis, ipſis, qui pietatem profitentur, vix minima laborum & cruciatuum Domini deprehenduntur veſtigia, quaſi ille ad id unum paſſus fuiſſet, ut nos a paſſione liberaret, non ut exemplo ſuo ad eamdem induceret. *Abbas Trappenſis tomo 2. dogmatum Aſceticorum.*

Mollis vita fovet concupiſcentiam.

Hæc obligatio eſt, quam guſtare non poſſunt inertes Chriſtiani, Crucis Jeſu Chriſti inimici, qui ſibi voluptates palam criminoſas dumtaxat interdicentes, tanta cura vitæ delicias, & commoda perſequuntur, quæ fovent, aluntque potius concupiſcentiam, quam illam frangant, atque mortificent. Sed licet etiam hæc mollities, atque inutilitas vitæ non eſſet directe vitæ Jeſu Chriſti oppoſita, fieri adhuc omnino non poteſt, ut qui illam ducunt, in exteriori etiam ejus legis exercitatione perſeverent, quam in ſpeciem obſervant, dum interim in Chriſtianæ religionis eſſentia illam violant. Iſta concupiſcentia illos inquietat, inveniens eos in temporalium commodorum perquiſitione ſollicitos intentoſque quin contra ſubitas, & inexpectatas illius irruptiones ſibimet caveant: hinc illa debacchatur, tempuſque eligit aptum omnem animæ eorum libertatem depopulandi. Cum hoc monſtro familiaritatem non aſpernamini; verum ſcitote, naturalem illius feritatem a vobis augeri, non minui, cum illud blande palpatis: & niſi quam diligentiſſime vobiſmet caveatis, hoc ne cogitantes quidem vos devoraturum. *Abbas du Jarry ſermone de Sanctæ Virginis Conceptione.*

M O R B I.

Bonus eorum uſus, atque ad animæ ſalutem utilitas &c.

M O N I T U M.

Quamvis corporis ægritudines ſub tribulationum nomine, ac titulo comprehendantur, tamquam ſub genere ſpecies, quemadmodum a nobis notatum fuit, cum de illis ageremus; attamen peculiarem hic de morbis titulum inſtituemus, quin ſermonem habeamus de morbis animæ, vitiis nempe, & peccatis, neque de aliis tribulationibus, & adverſis, quæ vitæ noſtræ gaudia, & beatitudinem interpellant. Argumentum hoc de quo veteres Concionatores non niſi per tranſennam, cum de aliis tribulationibus agerent locuti ſunt, hodierna die ſatis familiare eſt, atque utiliſſimum, docet enim, quomodo morbis, quibus noſtra nos ſubjecit natura, uti debeamus, ſive illos intueamur tamquam pericula, quibus Deus virtutem probat, vel tamquam peccatorum noſtrorum pœnas, atque ſupplicia, ſeu demum veluti caſus aliquos, quibus mederi non poſſumus; ſemper liquet, hos omnes morbos non niſi divinæ providentiæ juſſu nobis accidere, ideoque bonum eorumdem uſum non parum conferre poſſe Chriſtiani hominis ſaluti, atque perfectioni per patientiam, divinæ voluntati ſubmiſſionem, pœnitentiam, & virtutes alias, quarum exercendarum latiſſimum campum aperiunt.

Ut igitur argumentum hoc Chriſtiano more pertractemus, ac inde illum, quem poſſumus, fructum percipiamus, Medicis quidem relinquemus curam medendi morbis pharmacorum uſu, quem ipſorum ars tradit; nos autem concionatoribus trademus artem utendi corporum ægritudinibus ad animæ morbos curandos, atque ad ſalutis adminicula percipienda, quibus bene valentes numquam eadem cum utilitate fruuntur.

PARA-

PARAGRAPHUS PRIMUS.

Variæ concionum hujus argumenti Syſtemata.

I. CUM inter omnes tribulationes morbi maxime familiares ſint, ac difficillime perferantur, reor, non utilius eligi poſſe argumentum, & quod hoc tempore majus ſolatium afferat, quam oſtendere bonum eorum uſum, qui faciendus eſt; quandoquidem in morbis omnibus id dicere poſſumus, quod de Lazari morbo Salvator ait, eos videlicet non eſſe ad mortem; ſed potius ad majorem Dei quidem gloriam, animæ vero noſtræ ſanctificationem. Hoc in ſenſu duplici Concionis parte vobis oſtendam: 1. rationes, quæ nos excitare debent, illis bene utamur, 2. diſpoſitiones a nobis afferendas, ut illi & ad Dei gloriam, & ad ſanctificationem noſtram utiles fiant.

Quoad rationes, hæ fere potiſſimæ ſunt, ac maxime urgentes. 1. Quia ut plurimum nos ipſi morborum noſtrorum cauſa ſumus, ganeis, & compotationibus, atque peccatis, quæ ipſi committimus, quæ tantum nobis malum promovent, vel in ſceleris pœnam, vel quia corporis temperamentum corrumpentes eas nobis conflamus infirmitates, quas evitaremus, ſi frugi, & caſte viveremus. Si juvenis exempli gratia noctes in alea, choreis, vel aliis ſolatiis traducens, ægrotaverit, cuinam accepta referenda eſt ægritudo, niſi vitæ ejuſdem flagitiis? Homo aliquis effræni ſeſe tradens libidini ſi corporis bonam valetudinem amiſerit, ſibi uni ſuccenſeat &c. Tu valetudinem tuam vigiliis, crapula; vino perdis; numquid poſt hæc juſta erit querela tua, ſi ægra fueris valetudine? Quod ſi hos morbos conſideramus tamquam a Deo miſſos in ſcelerum noſtrorum pœnam, nobiſmet perſuadere debemus, ſupplicium hoc meritos fuiſſe, ideoque nos eſſe mali, quod patimur, cauſam. Hæc ratio efficere debet, ut illos haud ægre feramus cum tranquillitate, ac ſpiritu pœnitentiæ. Sin autem e contra caſu hæ nobis ægritudines ingruant, vel ob naturæ noſtræ infirmitatem, vel quia parum nobiſmetipſis proſpeximus, tunc ex neceſſitate virtus efficienda eſt; neque in meliorem uſum illas traducere poſſumus, quam ſi illis ad peccata noſtra expianda, ea vero præſertim, quæ morbos ipſos pepererunt, utamur. 2. Secunda ratio eſt conſiderare, ſi morbus eſt ſcelerum noſtrorum effectus, & pœna, eorum quoque remedium eſſe; Dei enim illum mittentis conſilium non eſt ſolum nos punire, ſed potius nos hac punitione ad frugem revocare, ac reſipiſcendi occaſionem præbere; quod nobis Regius Propheta, *Pſalm.* 15. Declarat loquens de Iſraelitis: *Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum, poſtea acceleraverunt ad Deum reverſuri.* Itaque videmus inſignes peccatores, quos Deus in hac vita derelinquit, proſpera frui valetudine, quia æternis reſervantur ſuppliciis. E contra vero juſti ſæpiſſime acutiſſimis doloribus excruciantur; etenim per infirmitates Deus illos a peccatis præſervat, a periculoſis occaſionibus arcet, atque in ſtatum adducit divinæ ſatisfaciendi juſtitiæ, propter ſcelera, quæ commiſerunt. Hinc in eam mentem accedere debemus morbos cum actione gratiarum recipiendi veluti inſigne aliquod beneficium, tamquam animæ noſtræ malis, quæ præ corporeis ægritudinibus longe pernicioſiora ſunt, remedium, & denique tamquam antidotum contra peccata, in quæ, ſi bona uteremur valetudine, laberemur. 3. Tertia ratio eſt, nihil glorioſius, & acceptius Deo fieri a nobis poſſe, quam propter illius amorem pati eos morbos, quibus illius diſponente providentia affligtamur; quod Salvator nos docuit de Lazari morbo loquens, eumque ad majorem Dei gloriam accidiſſe dicens. Et ratio eſt, quia dolores, qui tunc perferuntur, totidem ſunt ſacrificia, quæ offeruntur Deo, cum patienter illos toleramus, & uti loquitur S. Paulus, corpus noſtrum Deo hoſtiam viventem offerimus. Et profecto ingens divinæ huic majeſtati gloria eſt ſervos habere ita ſuis voluntatibus ſubditos, dictoque parentes, ut æquo, magnoque animo accipiant calicem, quem ipſa illis propinat, oblectationum omnium, negotiorum, valetudinis, vitæ denique ipſius privationem. Hinc Tertullianus Sanctum Job vocat divinæ opificem gloriæ; Deus enim ex illius patientia ſibi trophæum poſuit, ut affligeret dæmonem, quem ad illum non in bonis tantum, verum etiam in ipſo corpore afflictandum provocaverat.

Pars altera poſita eſt in oſtenſione diſpoſitionum earum, quæ in nobis requiruntur, ut morborum ſanctum uſum efficiamus; quarum quæ maximæ neceſſariæ, hæ ferme ſunt: 1. Illos ſeu pro diuturnitate, ſeu pro mali qualitate tanta animi obedientia ferre, ut illis liberari non exoptemus, niſi quatenus divinæ voluntati placuerit, ſcientes nos numquam illi gratiores fore, quam eo in ſtatu, qui nos Salvatori magis ſimiles efficit. 2. Patienter, paratoque animo ferre dolores morbi, faſtidia, pharmacorum amaritudinem, ac tædium, quin inquietam illam præ nobis feramus ſollicitudinem, qua paſſim corporis ſalutem perquirimus, tempus hoc conſiderantes tamquam pœnitentiæ tempus, quo illi ſupplere pœnitentiæ poſſimus, quam peragere neglieximus. 3. Diſpoſitio tertia eſt per Sacramenta gratiæ ſtatum ſibi comparare, cum ut ipſa ægritudo nobis fiat meritoria, tum ut mortis inſidias eludamus.

De bono morborum uſu, quos nobis immittit providentia, & a quibus pauciſſimi in hac vita ſunt immunes, oſtendendo eorum ad ſalutem acquirendam utilitatem. II.

1. Oſtendendum eſt illos conferre quamplurimum; ut peccatum relinquatur, ut illius nexus, & impedimenta infringantur, ut peccandi evitetur occaſio, atque ut pravi habitus in vitio contracti abjiciantur. 2. Morbos opportunas eſſe occaſiones cum Deo in gratiam redeundi vera, ſinceraque pœnitentia, quam efficere poſſumus, patienter ferentes eorum vim, eoſque animo æquo, non ægre acceptantes. 3. Nobis viam aperire noſmet ſanctificandi per patientiam, & praxim maximarum virtutum, quas hoc in ſtatu poſſumus exercere.

Pro concionis argumento deſumi poteſt, corporis morbos ſæpe morbis animæ mederi, hanc ſaltem Dei mentem eſſe illos immittentis. 1. Animæ ſalutem reddunt illam ex peccatis retrahentes, efficiendo ut reſipiſcat, eique cogitationem, deſiderium, & conſilium cum Deo in gratiam redeundi inſpirantes. 2. Illam conſervant, ac tuentur prohibendo, ne in peccatum labatur, eique præbendo modum ſatisfaciendi juſtitiæ divinæ ejus pœnitentiæ auſteritate, quam peccator voluntariam poteſt efficere, illam æquo animo accipiens. III.

Morbum reſpicere poſſumus: 1. Non ſolum tamquam peccati originalis, quod naſcentes contraximus, effectum, ſed præterea veluti pœnam, quam nobis divina irrogat juſtitia pro peccatis, quæ patravimus, & tamquam effectum ſcelerum noſtrorum. 2. Tamquam periculum noſtræ fidelitatis, atque virtutis, quam Deus vult exercere. 3. Tamquam remedium malis animæ, quibus Deus ſæpe mederi vult per mala corporis; per hæc nos a mundo, ſenſibilibuſque bonis divellens, quæ immodice amantur a nobis, atque admonens, ut mortem cogitemus, cujus quidam veluti præcurſor eſt ægritudo. Hæ autem variæ relationes, quibus morbum reſpicere poſſumus, variis nobis indigitant diſpoſitiones, quibus illum debemus recipere. IV.

1. Si hunc tamquam peccati originalis effectum reſpicimus æquo animo ſubeunda nobis eſt pœna, quam Divina juſtitia, in primi parentis noſtri perſona, tulit adverſum nos; atque illum reputantibus veluti pœnam propriorum criminum, quæ magna, multaque ſunt, non ſine pœnitentiæ ſpiritu recipienda ſunt mala, quæ Deus nobis immittit, dicendumque cum Job: *Peccavi, &, at eram dignus, non recepi.* 2. Si morbum ſpectamus tamquam periculum, quod Deus facere vult fidei noſtræ, & tamquam virtutis, noſtræque patientiæ exercitationem, nobiſmet perſuadeamus non poſſe melius Deum ſuum nobis amorem teſtari, quam oacaſionem præbens noſtram eidem teſtandi, atque oſtendendi fidem, perfectamque providentiæ ipſius obedientiam. 3. Si corporis morbum intuemur tamquam ſpiritualium morborum medicinam, eorum etiam, quæ ſæpiſſime ignoramus, vel quæ vix ipſi ſentimus; eidem noſmet ſubjicere debemus cogitantes, nos oblíviſci Dei, cum proſpera utimur valetudine, ac opus eſſe, ut nobis Deus aliquem morbum immittat, ut ad illum cogitationes attollere nos cogat, atque ad officium revocet adorantes miſericordis hujus ſeveritatis conſilia, quæ hac ratione nos ad ſervitutem ipſius jubet reverti. *Ex Patre Nepveu in libro cui titulus: Ratio ſeſe preparandi ad mortem.*

Morbi conſiderari poſſunt, 1. in peccatoribus, 2. in juſtis; eaque amplificari bona, quæ inde utrique recipiunt. V.

Primum quoad peccatores ſpectat efficiunt, ut qui peccandi habitum contraxerunt, qui jam occalluerunt, qui oculos lumini jam claudebant, ac videbantur jam traditi errori ſpiritus depravati, reſipiſcant, ac ſerio præ-